



SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

STUDIA HESIODEA

SCRIPSIT

MILAN R. DIMITRIJEVIĆ.



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCXCIX.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

Auctor huius libri Milan R. Dimitrijević natus est Belgradi die IV mens. Febr. anno h. s. LXXV, obiit praematura morte Lipsiae die XXIX mens. Mart. anno XCVII, dum in studiis philologiae versatur, futurum Sorabiae suae decus. Quod opus reliquit de Hesiodi Operibus imperfectum magis quam incohatum pietas matris voluit exstare pro monumento filii, ne deesset in litteris nostris optimae spei memoria. Qui edidit ex schedis, diligenter perpolivit quae minus recte scripta invenit, prolixiora contraxit, examinavit testimonia citationumque numeros, res ipsas et argumenta non attigit, nisi quae videbantur omittenda esse ab ipso proposito nimis aliena. Quaedam a viris doctis de eodem argumento scripta neglexerat ipse auctor, alia accesserunt, postquam inter vivos esse desiit. Cuius rei ut rationem habeant qui utuntur his copiis, optamus rogamusque.

Ceterum voluit auctor sacrum esse opusculum suum et Lipsiensibus quibusdam, quorum institutione usus erat, et IOSEPHO PODGRADSKI una cum IOANNE TUROMAN olim praeceptoribus suis.

PRIMUS · LITTERARUM · AMOR · DECEPTUM

MORTE · FEFELLIT

HAVE · PIA · ANIMA

Caput I.

Quale et quantum noverint carmen „Opera et Dies“ antiqui lectores.

1.

Carminis Hesiodei, quod inscribitur *Ἔργα καὶ ἡμέραι*, brevi tempore habebimus accuratissimam recensionem, quae prodibit in editione Rzachiana altera: adhuc in nulla fere editione certa fide omnis est adhibita memoria scripta Hesiodei carminis. Mihi autem et ex dissertationibus nonnullis, quas post priorem editionem suam conscripsit Rzachius, et ex litteris, quas benevole misit ad me vir doctissimus, contigit, ut de hac re possim amplius disputare et certum ni fallor iudicium ferre. Liceat igitur pauca praefari de praecipuis fontibus recensionis, i. e. et libris manuscriptis, quibus memoria carminis ad hanc aetatem perlata est, et fragmentis papyrorum, quae Fortuna liberalis in ruinis Aegypti conservavit.

Memoriam omnium librorum manuscriptorum ex uno fonte fluxisse confirmatur cum communibus erroribus, tum eis lectionibus, in quibus contra scriptores antiquos Hesiodea afferentes conspirant codices. Sed satis depravata in quibusdam codicibus haec est memoria neque ullus rivulus puram ex fonte communi ad nos perduxit. Optimam qui exhibent duo sunt libri, Parisinus 2771 (saec. X/XI) et Laurentianus XXXI. 39 (saec. XII).

Parisinum nemo adhuc editorum pro dignitate eius usurpavit[1]): ipse Rzachius demum post priorem editionem suam

1) Primus Zalycus in usum Gaisfordii; vir quidam doctus ad Loesnerianam editionem Lennepio in usum, ipse Loesnerus; H. Flachius, qui codicem „perlustravit“ ad Goettlingianam editionem tertiam. Par. Q est Lennepio, Q Koechlyo et Kinkelio, qui e Lennepiana varietatem lectionis exscripserunt, Par. Flachio. Rzachio in editione priore fuit A.

(1884) luculenta commentatione[1]) summam libri virtutem esse accuratissime demonstravit. Nunc inter omnes constat de Parisini principatu. Huius ad fidem revocanda est carminis recensio. Mihi autem licuit per Rzachii erga me benevolentiam, ubicumque id opus erat, lectionis Parisinae certa uti notitia. Signum erit C, quod futurae editioni Rzachius constituit.

Proxime accedit Laurentianus. Hunc recentiores editores adhibuerunt fere omnes; primus Koechlyus summam auctoritatem perspexit[2]), Flachius[3]) deinde et Rzachius (l. l.) accuratius docuerunt. Mihi post Koechlyum Kinkelium Flachium in locis dubiis sua hic quoque suppeditavit Rzachius, cuius signo in hac commentatione utar: D.

Sunt praeterea nonnulli libri, quorum etiamsi memoria magis est depravata, tamen singula quaedam sana exhibent ob eamque rem digni sunt, qui passim adhibeantur. Horum in numero praestantissima est familia codicis Messanii no. 11 (saec. XII exeunt.). Quem principatum communicat ille cum Ambrosiano J 15 (saec. XIV). Messanium iam Kinkelius merito aestimavit[4]): fusius est explanatum, quid esset boni in hoc libro, ab H. Flachio in peculiari commentatione[5]); optime de hoc quoque nuper Rzachius.[6]) Ambrosianum autem librum usque ad editionem Rzachianam nemo fere noverat, quamquam erat inter illos „sex Ambrosianos" Lanzii; aliquanto pluris quam par erat aestimabatur ab eo, qui primus eum con-

1) „Zur ältesten Überlieferung der Erga des Hesiodos" in „Symbolae Pragenses" 1893 p. 165—194. Cf. recensionem R. Peppmülleri „Berliner philol. Wochenschrift" 1894 p. 192 sqq.

2) M est Koechlyo, Kinkelio et Rzachio in editione priore, M 5 Goettlingio et Flachio, Med. 5. Lanzio etc. Sittlius compendiis abstinet.

3) „Die beiden ältesten Handschriften des Hesiod und ihre Bedeutung für die Textkritik" 1876.

4) Ei erat μ; lectiones (non omnes accurate) Alb. Guethius suppeditaverat.

5) „Jahrbücher für Phil. und Päd." 1880 p. 157 sqq. Lectiones debet G. Loewio, Flachio ad editionem priorem Rzachius; cf. etiam Rühlium „Philologus" 47 p. 578 sqq.

6) „Die Sippe des Codex Messanius der hesiodischen Erga" in „Serta Harteliana" 1896.

tulit, Abelio[1]), nec non a Rzachio.[2]) Cuius tamen nunc in optima illa commentatione, cuius sit pretii, legi potest. Compendiis utemur Mess. et Amb.

Ad hos libros manuscriptos accedit pluris aestimanda duplex memoria papyrorum Aegyptiacorum: una eorum, quae sunt in collectione Austriaci archiducis Rainer[3]) ad versus 251—66, 283—96, 313—29, 346—61, 686—709, 718—40, 750—812, 817—28, altera eorum, quae Navillii[4]) sunt, ad versus 111—18, 153—61, 174—82, 210—21. De Austriacis illis luculentam conscripsit Rzachius disputationem[5]), qua ostendit memoriam huius fontis (saec. IV) congruere cum codicibus, qui aetatem tulerunt. Signum constituit A, quo utemur ipsi quoque. Plura de altero papyraceo fragmento (B secundum Rzachium) scripta sunt post J. Nicolium ab H. Weilio[6]), R. Peppmuellero[7]), Rzachio. A ad editionem suam adhibuerunt Sittlius et Kirchhoffius, B adhuc nemo potuit. Praebet autem B manifestissima vestigia alterius cuiusdam recensionis, in gravissimis lectionibus prorsus alienae a vulgari. Quod cum palam ac professe nemo demonstravisset, varium in modum rem expedire studebant in explendis lacunis Weilium potissimum secuti. Nos fusius de hac re postea. Nunc etiam hoc loco gratias ago viro doctissimo J. Nicolio, qui benevolentia summa per litteras me de quibusdam rebus ad haec fragmenta pertinentibus docuerit.

2.

Quod vulgo inscribitur carmini *Ἔργα καὶ ἡμέραι* non potest dubitari, quin ab antiquissimis inde temporibus fuerit in usu, licet desit antiquissimum testimonium, quantum ego scio. Solebant

1) In ephemeride „Egyetemes philologiai“ Közlöny IV p. 360 sqq.

2) „Wiener Studien“ V p. 175 sqq.

3) Publici iuris facta sunt a K. Wesselyo in „Mitteilungen aus der Sammlung der Papyrus Erzherzog Rainer“ I 73 sqq.

4) „Revue de philologie“ 1888 p. 113 sqq. (a J. Nicolio).

5) „Wiener Studien“ X p. 260 sqq. (denuo in dissertatione, quam laudavi supra, p. 2 adn. 1. Cuius sub finem etiam de Navillianis verba facit).

6) „Revue de phil.“ 1888 p. 175 sqq. Weilius primus fragmenta explere studuit.

7) „Philologus“ 52 p. 593 sqq. In explendis fragmentis secutus est

enim auctores veteres aut poetae nomine aut uno vocabulo *Ἔργα* totum carmen indicare.[1]) Sed nullo modo inde cum nonnullis concludendum illo tempore aut omnino non fuisse Dies aut non cum Operibus coniunctas: non solum constat ab eisdem auctoribus[2]) extremam partem carminis lectam esse, verum etiam non desunt loci[3]), quibus nomine *Ἡμέραι* totum indicetur carmen.

Credebant alii[4]), fuisse apud antiquos plura nomina partium totius carminis, ex similitudine Homericorum, veluti *Πανδώρα* vel *πιθοιγία*, *δαιμονολογία*, *παραινέσεις γεωργικαί* etc. Quorum in numero *πιθοιγία* quidem, ut iam Schoemannus[5]) docuerat, nullum testimonium habet veterum scriptorum, nec magis *δαιμονολογία*: verum nata sunt ex errore Heinsii, qui alterum finxit, neque id satis eleganter, secundum versus Manilii (2, 11 sqq.), alterum refert ad eam partem (46—105), ad quam non rettulit, qui solus adhibuit, Eustathius (ad *Ω* 527 de Op. 368 sq.). Reliqua autem, quae sane inveniuntur apud antiquos scriptores, ita sunt comparata, ut inde minime concludas seorsum esse lectitatas quasdam partes. Pausanias enim si quid valet quod affert (9, 31, 4) *τὸ εἰς Ἔριδας*, sive illae Luciani[6]) *παραινέσεις γεωργικαί*: quid fiet verbis *ὅσα περὶ Πλειάδων* et *ὅσα περὶ καιρῶν ἀρότου καὶ ἀμήτου*? Partesne a reliquis versibus absolutae? Ne *αἶνος* quidem nomen partis fuit, licet passim utantur scriptores imprimis recentiorum aetatum.[7]) Idem cadit in *γνωμολογίας*[8]), nisi forte

Weilium, habet tamen quaedam propria, praesertim in versibus transponendis. Cf. huius dissertationis cap. IV part. 5.

1) Ex. gr. Plutarch. (de quo infra part. 3) Conv. Quaest. 9 p. 736 e, vita Thesei 3 etc. Pausanias 9, 31, 3.

2) Plutarchum in commentario de Diebus verba fecisse testatur Proclus ad v. 794.

3) Cf. Procli vit. Homeri 2.

4) Heinsius in edit. Loesneriana p. 655 sqq. Goettlingius in praefatione editionis alterius p. 35 sqq. Mirum, quod Flachius sine ulla adnotatione etiam in tertia editione verba illa retinuit.

5) „De veterum criticorum notis ad Hes. Op. et Dies" in Opusc. Acad. III p. 47 sqq.

6) Lucian. diss. cum. Hesiod. 1.

7) Cf. Etymologica, Lexica alia, Paroemiographos s. v.

8) Plutarch. Vita Thes. 3.

de eadem parte in usu fuisse dicas etiam ὑποϑῆκαι[1]), παραγγέλματα[2]) similia. Immo elucet eius modi vocabula nulla certa lege, brevitatis causa, ab aliis aliter, ut ferebat occasio, fuisse usurpata. Certe nihil gravius hic latet.

Ceterum simili consilio licebit nobis quoque hunc in modum adhibere nomina: Prooemium v. 1—10, τὸ εἰς Ἔριδας v. 11—41, Pandorae fabula v. 42—105, Aetatum fabula v. 106—201, αἶνος v. 202—212, τὸ εἰς δίκην καὶ ἀρετήν v. 213—305, Gnomologia prior v. 306—382, Opera v. 383—617, de Navigatione v. 618—694, Gnomologia posterior v. 695—764, Dies v. 765—828.

3.

A codicis Parisini aetate statim ascendamus ad saeculum quintum, quo Proclus fuit, cuius ex commentario multa insunt in scholiis. Deest quidem in C primum folium, ubi fortasse eius nomen inveniebatur, sed et ex innumeris cavillationibus Tzetzianis et ex scholiis codicum recentiorum constat e Procli commentario, quem Suidas quoque novit, illa esse excerpta. Quae si cum textu carminis, quem legimus, comparaveris, concedes illum omnes quae nunc sunt partes carminis eodem ordine atque nos legisse.

Sequitur Plutarchus. Hunc quoque scripsisse commentarios ad Opera patet cum e Gellii testimonio (20, 8, 7), tum e Procli scholiis, qui totus ex illo pendet. Ne nostra ipsi praeripiamus, interim sit satis afferre eos locos, ubi addito nomine Proclus Plutarchum interpretem laudat. Sunt ad v. 48, 212, 218, 242, 267, 286, 287, 317, 346, 353, 356, 373, 377, 380, 386, 423, 427, 435, 504, 559, 580, 633, 650, 733, 748, 751, 757, 780. Quibus omnibus locis non solum ad singulos illos versus, sed semper fere ad complures vicinos pertinere Plutarchi interpretationem manifestum est. Legit autem secundum haec quidem vestigia commentarii Plutarchus Pandoram, αἶνον, ea quae sunt εἰς δίκην καὶ ἀρετήν (6 fragmenta) Gnomologiam priorem (8 fragm.), Opera (7 ut videtur fragm.), bis in parte de navigatione invenies eius nomen, plus octo versus ex altera Gnomologia novit, laudatur etiam in Diebus semel. Restant Prooemium, Aetates, Ἔριδες. Ex his Aetatum

1) Isocrates ad Nic. 43. 2) Scholia vetera ad v. 760.

fabulam (v. 122 sq., 126) commemorat de Is. et Osir. p. 361 b; de def. oracul. p. 417 b; ibid. p. 413 e. Erides significat in Conv. Quaest. p. 736 e (v. 11); in libello de cap. ex inim. util. p. 92 a (v. 23 sq.); in libro de tranquill. animi p. 473 a (v. 25); in libello de aud. poet. p. 36 a (v. 40); in fragmento opusculi de anima apud Duebnerum V p. 11 (v. 42 sq.); in libris de cup. divit. p. 527 c et Sept. sap. conv. p. 157 f. (v. 45 sq.). Caret testimonio unum Prooemium.

De hoc dubitari posse eo minus est negandum, quo planius scripsit Plutarchus in Conviv. quaest. (9, p. 736 e) haec: *Διὸ πρῶτον μὲν ἐκέλευσεν ᾆσαι τὸν Ἐράτωνα πρὸς τὴν λύραν. ᾄσαντος δὲ τὰ πρῶτα τῶν Ἔργων· οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην Ἐρίδων γένος, ἐπήνεσεν κτλ.* Accedit Pausanias (9, 31, 4): *Βοιωτῶν δὲ οἱ περὶ τὸν Ἑλικῶνα οἰκοῦντες παρειλημμένα δόξῃ λέγουσιν ὡς ἄλλο Ἡσίοδος ποιῆσαι οὐδὲν ἢ τὰ Ἔργα καὶ τούτων δὲ τὸ ἐς τὰς Μούσας ἀφαιροῦσι προοίμιον, ἀρχὴν τῆς ποιήσεως εἶναι τὸ ἐς τὰς Ἔριδας λέγοντες· καί μοι μόλυβδον ἐδείκνυσαν, ἔνθα ἡ πηγή, τὰ πολλὰ ὑπὸ τοῦ χρόνου λελυμασμένον· ἐγγέγραπται δὲ αὐτῷ τὰ Ἔργα. ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα κεχωρισμένη τῆς προτέρας, ὡς πολύν τινα ἐπῶν ὁ Ἡσίοδος ἀριθμὸν ποιήσειεν ἐς γυναῖκάς τε ᾀδόμενα .... παραινέσεις τε Χείρωνος ἐπὶ διδασκαλίᾳ δὲ* (coni. *δὴ*) *τῇ Ἀχιλλέως, καὶ ὅσα ἐπὶ Ἔργοις τε καὶ Ἡμέραις.* Pluribus rebus lucem affert hoc testimonium, unde discamus 1) legisse Pausaniam et eius aequales in suis exemplaribus prooemium, Boeotos non adgnovisse, 2) fuisse plumbeum quendam librum, sive mavis tabulas plumbeas, in quibus prooemium deerat, 3) usum esse Pausaniam promiscue nominibus *Ἔργα* et *Ἔργα καὶ Ἡμέραι* de uno eodemque carmine, 4) fuisse eius temporibus quaedam additamenta Operibus adiuncta. De reliquis erit suo loco dicendum: nunc satis est, quod legisse constat Pausaniam eiusque aequales Prooemium. Addas his, a Dione Chrysostomo Prooemium integrum laudatum esse[1]), ab Aristide[2]) versum 5, quem etiam Apollonius Dyscolus noverat.[3]) Valet igitur de Plutarchi aetate idem, quod valebat de Proclo. Altius recedamus: adeamus Alexandrinos et quarti saeculi Athenienses.

1) v. 1—9 in orat. 20, 24 p. 382 R.

2) Romae laud. 1 p. 338. 3) De adverb. p. 562 B.

Et grammatici quidem quid aut scripserint aut de quibusdam versibus iudicaverint, saepius docent addito modo ipsorum auctorum nomine, modo nomine eorum, quibus constat semper ad manus fuisse veterum grammaticorum libros, vetusta ad Opera scholia. Nominantur ad v. 1—10, 58, 89, 94, 210, 270, 287, 302, (378?), 529, 549, 590, 740, 770, 780, 810, 828. Doctrina Alexandrina ex artis vocabulis cognoscitur e. g. ex eis, quae legimus ad v. 182, 276, 629, 649. Desunt omnino testimonia ad primam partem (*τὸ εἰς τὰς Ἔριδας*) et ad priorem Gnomologiam. Gnomologiae tamen succurrunt scholiographi Homerici ad *Ω* 45, versum in suspicionem vocantes ut depromptum ex Hesiodo (v. 318). Ceterum monuimus iam Isocratem[1]) novisse *ὑποθήκας* Hesiodi, quo nomine apparet eum gnomologias indicavisse. Adde, quae abierunt quasi in proverbii usum apud Xenophontem[2]) et Platonem.[3]) Ad primam autem illam partem (*εἰς Ἔριδας*) adsunt, ut mittam locos plurimos Platonis Aristotelis Xenophontis, quibus alludunt magis quam afferunt, diserte laudati versus 25, 26, 40 apud Platonem[4]) et Aristotelem.[5])

Non est tamen silentio praetereunda sententia nonnullorum recentiorum criticorum, qui ex his versibus Aristophanis[6]):

Ἡσίοδος δὲ (sc. *κατέδειξε*)
γῆς ἐργασίας, καρπῶν ὥρας, ἀρότους·

studuerint comprobare eum nondum legisse Dies. Quae sententia nullo modo est admittenda. Ex hac enim ratione dicendum est Aristophanem Hesiodei carminis nihil nisi eam particulam, quae est v. 383—607, legisse, ab Homero abalienavisse totam Odyssiam. Pergit enim:

ὁ δὲ θεῖος Ὅμηρος
ἀπὸ τοῦ τιμὴν καὶ κλέος ἔσχεν πλὴν τοῦδ' ὅτι χρήστ' ἐδίδαξε
τάξεις, ἀρετάς, ὁπλίσεις ἀνδρῶν;

Videsne, quid sit e silentio petere argumentum?

---

1) Ad Nicoclem 43.
2) v. 311 in Memorab. 1, 2; v. 336, ibid. 1, 3.
3) v. 311 in Charmid. p. 163 b; v. 361 in Cratyl. p. 428 a.
4) In Lysid. p. 215 c; in Republ. 5 p. 466 c.
5) In Polit. 5 p. 1312[b] 4. 6) Ranar. v. 1034 sq.

Finem faciam huius partis, si pauca dixero de Prooemio. Hoc enim cum traditum sit obelo notavisse Aristarchum, constat illum novisse eos versus. Idem valet et de eis, quae de Praxiphane in scholiis leguntur[1]): *ὥσπερ ἄλλοι τε καὶ Ἀρίσταρχος ὀβελίζων τοὺς στίχους, καὶ Πραξιφάνης ὁ τοῦ Θεοφράστου μαθητής, μηδὲ τοῦτο ἀγνοοῦμεν. οὗτος μέντοι καὶ ἐντυχεῖν φησιν ἀπροοιμιαστῷ τῷ βιβλίῳ καὶ ἀρχομένῳ χωρὶς τῆς ἐπικλήσεως τῶν Μουσῶν ἐντεῦθεν· Οὐκ ἄρα μοῦνον κτέ.* Quod est gravissimum. Fuisse apparet Praxiphanis aetate *ἀκέφαλον* aliquem librum. „Simile quoddam (sc. exemplar) Pausaniae monstrarunt Boeoti Heliconii" dixit in dissertatione[2]) sua Heyerus, inter reliquos ad verum proximus. Sed cur simile tantum? Quidni dicas idem ipsum? Credisne de gregario quolibet libro verba facturum fuisse Theophrasti discipulum? Nonne potius de eo, cuius singularis quaedam auctoritas esset? At fuit talis plumbeus ille in Helicone: hic inter vetustissimae memoriae monumenta habebatur, hunc credere licet cum religione quadam ut thesaurum quendam custodivisse Heliconios. Cur autem afuerit a famoso isto libro Prooemium, non est dubium: displicebant Heliconiis *Μοῦσαι Πιερίηθεν.*[3])

Sed iam missos faciamus cum Praxiphane Athenienses; progrediendum est ad prisca fere tempora obscuramque memoriam. Certa hic testimonia noli exspectare: cogimur acquiescere in imitationibus poetarum veterum. Qua in re vix monendum erit neque satis multos testes aetatem tulisse neque carminis Hesiodei naturam eam esse, ut per omnes carminis partes imitatores alliciat. Prooemium autem nunc est prorsus seponendum: hymni enim illi carminibus maioribus praevii quasi ex communi quadam poetarum supellectile depromi solitos esse satis omnes scimus.

---

1) Proclus in prolegomenis p. 4 ed. Gaisf.

2) „De carmine Hesiodi quod inscribitur Opera et Dies" 1848. Huic libello nonnihil debemus. Idem valet in librum A. Steitzii, „Die Werke und Tage des Hesiodos" Leipzig 1869.

3) Summo cum gaudio audivi eandem sententiam protulisse in scholis suis etiam O. Immischium. Simili modo postea vidi etiam Leonem in indice Gottingensi 1894 hanc sententiam approbantem.

Adest testimonium ad *τὸ εἰς Ἔριδας*. Fragmentum enim Timocreontis[1])

οὐκ ἄρα Τιμοκρέων μοῦνος Μήδοισιν ὁρκιατόμει

cum versu 11: *οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην Ἐρίδων γένος* comparatum apertam, ni fallor, imitationem ostendit. — Pandoram Hesiodeam veteribus poetis notam fuisse documento sunt fortasse hi versus Semonidis Amorgini[2])

οὕτω κακῶν ἄπ' οὐδέν· ἀλλὰ μυρίαι
βροτοῖσι κῆρες κἀνεπίφραστοι δύαι
καὶ πήματ' ἐστίν·

cum versu 100 Hesiodei carminis comparati. Cuius loci sine dubio memor erat Theognis (v. 1135 B.), cum unam Spem mortalibus remansisse diceret. Fortasse etiam Simonides Ceus versum 100 respexit: *τοιὰ θνατοῖς κακὰ κακῶν ἀμφί τε κῆρες εἰλεῦνται.* — Ad Aetatum fabulam certa adsunt testimonia in Theognidea imitatione versuum 187—201, ceteroquin satis libera. Compara, quaeso, Theogn. 1135—1148 cum Hesiodeis 197—200, 190, 194 sq. Taedet enim omnia adscribere. — Pedisequum fere habebis Theognidem in v. 821 sq., quibus expressit Hesiod. v. 185. — Porro in brevissima illa particula, quae apellatur *αἶνος*, desunt quidem, si quid video, id genus vestigia imitationis. Gravissimum tamen est, quod antiquis ita erat persuasum[3]) Hesiodum fuisse primum auctorem fabularum ethicarum ante Aesopum et Archilochum, ut lexicographi hac ipsa fabula semper exemplo usi sint explicantes vocabulum. Cuius rei testimonia conferre supersedeo.

Sententiam, quae est in ea carminis parte, quae sequitur, splendidissime exornavit Solo notissima elegia (fr. 13 Be.), sed manifesta ipsius imitationis vestigia non reperiuntur nisi in versibus 3—16 cum Hesiodeis v. 321—326 comparatis. Contra certissima est imitatio versuum 289—294 in illis Simonideis: *ἔστι τις λόγος, ποτὲ τὰν ἀρετὰν κτλ.* (fr. 58 Be.) — Praeterea quaedam, quae pertinent ad hanc partem, habet Theognis, apud quem omnino frequens est memoria Hesiodea. Ad v. 315 sua accomodavit v. 1149, ad versum Hesiodi 327 distichum

1) Apud Bergkium Poet. lyr. Gr. fr. 3.
2) Apud Bergkium P. l. Gr. fr. 1 v. 20 sqq.
3) Quintilian. Inst. Orat. 5, 11.

143 sq., paulo liberius imitatus est v. 320—326 suis quattuor 199—202 et versum 336 versibus 171, 172. De bono vicino quod est, id vel a Pindaro (Nem. 7, 129 sq.) imitatoris in morem expressum est.

Perventum est ad Opera, de quibus nemo unquam dubitavit. Neque desunt testimonia, plurima apud Theognidem. Vide e. g., quomodo v. 1197—1202 expresserit Hesiodea 448, 451. — Versum 412 aperte innuit Pindarus (Isthm. 6, 66 sq.): *Λάμπων δὲ μελέταν ἔργοις ὀπάζων Ἡσιόδου μάλα τιμᾷ τοῦτ' ἔπος.* — Sapphus apud Maximum Tyrium (24, 9) fragmentum: *τῇ δὲ Σαπφοῖ ἐτίναξε τὰς φρένας ὡς ἄνεμος κατ' ὄρος δρυσὶν ἐμπεσών* revocat in mentem Operum v. 509—511. — Versus 582—589 Alcaeus ad verbum fere expressit (fr. 39: cf. schol. Hesiod. ad locum). Versum 568 respexisse videtur Stesichorus (fr. 36 Be): quamquam est incerta sententia. — Porro in illa parte, quae est de navigatione, ubi tam multa de ipso Hesiodo reperiuntur, difficile erat imitari. Attamen, ni fallor in his Solonis (13, 43)

σπεύδει δ' ἄλλοθεν ἄλλος· ὁ μὲν κατὰ πόντον ἀλᾶται

ἐν νηυσὶν χρήζων οἴκαδε κέρδος ἄγειν habes imitationem versus 632. — Alterius Gnomologiae fortasse eiusdem Solonis adest testimonium. Cf. fr. 27, 9 sq. cum Op. v. 702 sq. Quem locum iam ab antiquis erat observatum a Semonide esse expressum (fr. 6). Eiusdem versus, qui sunt fr. 7, 110 sq. revocant Op. v. 700, Theognidea 1089 sq. Op. 709. Cf. etiam Theogn. 1113 cum Op. 716, Theogn. 335, 401 cum Op. 694, et ad verbum fere quae ille expressit v. 155 sq. cum Op. 717 sq.

Denique Dies, quibus deest poetarum testimonium, habent quasi adiutorem Heraclitum, quem novisse hanc partem poeseos Hesiodeae constat ex Plut. Vit. Camilli 19.

Quae cum ita sint, videor mihi ostendisse totum carmen Hesiodeum, si quidem rationem habes partium integrarum, iam sexto ante Chr. n. saeculo non aliter esse lectum atque legitur nunc. Neque est, cur dubites re vera legerintne scriptores sexti saeculi Hesiodi carmina. Quamquam enim etiam Hesiodi carmina per rhapsodos divulgabantur, sunt tamen quaedam imitationes eius generis, maxime Semonidea illa, ut lecta esse

carmina, non audita tantum evincant. Sequitur, ut dicamus, quid sentiamus de Pisistrato, cuius nomen in Hesiodea quoque memoria invenitur. Quod autem ab illo Homerica carmina in eam formam redacta esse dicuntur, quae aetatem tulit, reprobant quidem hoc Wilamowitzius[1]) et maxime Ludwichius[2]), sed eorum argumenta non me movent. Ne Lehrsii[3]) quidem disputatione, qua nititur Ludwichius, ullo modo Ritschelii[4]) argumenta sunt sublata, quibus Pisistrateam recensionem confirmavit: optimo iure in illa acquiescunt Kirchhoffius[5]), Christius[6]), alii. Ipsum Lehrsium refutavit optime post Düntzerum[7]) Wilamowitzius. Ut summam faciam: nego equidem fidem esse satis imminutam testium, qui adsunt Pisistrato, quos non est cur nunc enumerem. Ab altera parte, etsi destituti essemus testimoniis illis, per hypothesim ponenda esset eiusmodi recensio. Quod data occasione accuratius exponam: nunc satis est significare me in hac quaestione versari totum in castris Pisistrateorum.

Quod autem valet de Homeri carminibus, verisimillimum est idem in Hesiodea cadere, quorum omnino propagatio mirum quantum congruat cum illis. Et adest testimonium, quo haec sententia firmari videatur, Plutarchi vit. Thes. 20: *τοῦτο γὰρ τὸ ἔπος ἐκ τῶν Ἡσιόδου Πεισίστρατον ἐξελεῖν φησι Ἡρέας ὁ Μεγαρεύς.* Quod pertinet ad versum quendam Ehoearum. Praeterea nihil certi constat de hoc Herea, qui cum videatur scripsisse historiam Megaricam vel Atticam, laudatur ab uno Plutarcho[8]) et quidem ita, ut nihil inde discamus de temporibus, quibus floruerit. Tamen fateor illud vel per se mihi veri simile videri, Pisistratum etiam Hesiodea quae feruntur carmina ad eam fere speciem ac formam revocasse, quae nunc exstat. Num per eundem Onomacritum id sit factum, ignoro; notum

1) Homer, Unters. p. 235 sqq., 286 sqq.
2) Arist. Hom. Textcr. II 390 sqq., p. 420 sqq.
3) Nunc in libro „De Arist. st. Hom.“ ed.³ p. 430 sqq.
4) Opusc. I p. 46 sqq. 5) Odyss. p. 232 sqq.
6) Saepius in Prolegom. edit. Iliados. Ceterum audi nunc Cauerum, Grundfragen der Homerkritik 1895.
7) Homer. Abhandl. 1872 p. 3 sqq.
8) Vit. Thes. 20, 32 Vit. Sol. 10.

est, cur quidam maluerint hanc laudem Cercopi attribuere. Ceterum nolo infitias ire, in fundamento satis lubrico eum versari, qui in hac re aliquid affirmet.

Restat, ut brevissime respondeamus eis, qui contenderint amplius Operum carmen novisse veteres. In quibus miraberis etiam illum fuisse, qui philologicae arti novam viam aperuit, F. A. Wolfium. „Non tantum luxati corporis“ inquit ille[1]) „set et amplioris operis exiguam superesse ruinam docent Manilius, Plinius, alii, cum ex illo afferunt plura, quorum nunc nec vola nec vestigium apparet, nisi quis temere fingat hos de diverso carmine testari.“ Id ipsum affirmaverunt multi viri docti, quibus temeritatem nemo obiecerit: Welckerus[2]), Caesar[3]), Hugius[4]), Marckscheffelius[5]), editores fere omnes.[6]) Decet cautissime in hac re progredi. Quid enim habet Manilius? Secundi libri carminis sui initio (19 sqq.) Homeri Hesiodique meminit hunc in modum:

quin etiam ruris cultus legesque notavit
militiamque soli; quod colles Bacchus amaret,
quod fecunda Ceres campos, quod Pallas utrumque,
atque arbusta vagis essent quod adultera pomis,
silvarumque deos, sacrataque numina nymphis,
pacis opus, magnos naturae condit in usus.

Haec sane hodie in Operibus non leguntur: legitne Romanus poeta? Legitne Plinius ipse, quae tam larga manu suppeditavit editoribus colligentibus fragmenta *Ἔργων μεγάλων*? Iam pridem ego dubitabam: omnes scrupulos removit doctissima sua disputatione K. Sittlius.[7]) Demonstravit enim Romanos, cum argumenti carminis Hesiodei mentionem facerent, saepissime non Graeci poetae ipsius exemplar, sed celeberrimam Vergilii imitationem in animo habuisse multaque Hesiodo tri-

1) In prolegom. Rankianae editionis Scuti p. 79.
2) Rhein. Mus. 1 p. 425 sqq.
3) Zeitschr. f. d. Alterthumswissensch. 1838 p. 65 sqq.
4) *Ἔργα Μεγάλα* Hesiodi 1835.
5) In editione fragmentorum p. 202 sqq.
6) E. g. Goettlingius - Flachius in praefatione editionis tertiae p. 36 sq. (cf. fragmenta), Rzachius in editione 1884.
7) Wiener Studien XII p. 38 sqq.

buisse inconsideratius, nulla alia causa motos nisi quia acceperant illum huius disciplinae summum fuisse auctorem atque magistrum. Duo omnino sunt fragmenta *Ἔργων Μεγάλων*, de quibus dubitari nequit, unum apud Aristotelem[1]), alterum servatum ab antiquo scholiasta ad Op. v. 126 (fr. 207 Rz.). Reliqua a Plinio aliisque memorata illius sunt originis, quam Sittlius demonstravit. Nihil inde ad eam, quae proposita est, quaestionem.

Iam igitur affirmare licet, quod initio posuimus, nihil esse apud antiquos scriptores, quo impediti non credamus ab illis carmen, si quidem respicis ad integras partes universamque compositionem, ita fere lectum esse, ut nunc a nobis.

4.

Vel ex illo celeberrimo, quem supra laudavimus, Pausaniae loco eluxit, in quibusdam exemplaribus antiquis ad postremam partem huius carminis fuisse quaedam adiuncta. Sed gravius de eadem re exstat testimonium veteris scholiastae[2]): *τούτοις δ' ἐπάγουσί τινες τὴν Ὀρνιθομαντείαν, ἅτινα Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἀθετεῖ.* Propter *ἅτινα*, quod respondet Pausaniano *ὅσα* in verbis *ὅσα ἐπὶ Ἔργοις τε καὶ Ἡμέραις*, dicendum est aut in scholio aliquid excidisse, ex. gr. *καὶ Ἔργα μεγάλα*, aut *Ὀρνιθομαντείαν* fuisse illa *ἔπη μαντικά*, quorum memor est Pausanias, ut ad hoc nomen illud *ὅσα* et hoc *ἅτινα* pertinent. Utut hoc est, in ea quae exstat recensione illa non adsunt.

Transeamus inde ad papyrum Navillianum (B). Quattuor novos versus in lucem protulit, quibus necessario coniungendus quintus (v. 169), qui immerito in vulgari recensione legitur; in reliquis quoque magnam lectionis varietatem habet. Diodorus[3]) in laudandis versibus 111—119 longius recedit a vulgata, unum versum aliunde omnino ignotum addit. Origenes versus 53—82, 90—98 diversos a codicibus Hesiodeis adscripsit, quattuor non

---

1) Ethic. Nicom. 5, 8. Cf. ad hunc locum scholia et Michael. Ephesii (ed. Berolin.) et anonymi cuiusdam, quae ediderunt Rosius et Bywaterus in Hermae vol. 5 p. 357. Disseruit de hac re Ludwichius „Jahrbücher f. Phil.“ 1874 p. 457 sq. Cf. fragm. 198 Rz.

2) Ad Op. v. 828 (cf. de hac re fusius infra cap. II part. 9).

3) Abstineo ab indicandis locis, ut qui parte tertia huius dissertationis accuratius rem sim tractaturus.

agnovit, paulo ante duos a ceteris fontibus alienos praebet. Versum 99 una cum Plutarcho idem ignorat. Contra versum 169, qui ab optimo codice Hesiodeo abest, agnovit Zenobius. Adde, quod versus 244—245 non legebat Aeschines neque interpretatus est Plutarchus, qui ne versus quidem 794—797 noverat. In versibus quoque 123—124, 293—295, aliis discrepantiae sunt permagnae inter antiquos scriptores et librarios, qui Hesiodea propagaverunt. Multa sunt id genus alia: nolumus nostra nunc praeripere.

Quae cum ita sint, cogimur sive recensionis sive recensionum diversitatem quandam ipsi antiquitati attribuere. Quantum supersit ex altera recensione, quanta fuerit auctoritate, quae denique necessitudo intercedat inter oblitteratam illam et ad haec saecula traditam memoriam, id ipsum quaerere mihi nunc est propositum.

Cum autem duplex pateat via, una per veterum criticorum observationes, altera per testimonia eorum scriptorum, qui Hesiodea afferunt, proximum caput de scholiis erit ad Opera adscriptis, in tertio versabimur in examinandis testimoniis, ultimo loco complectemur ea, quae de altera carminis recensione nobis videamur repperisse.

Caput II.

De scholiis ad Opera adscriptis.

1.

Abundant scholiis libri Hesiodei. Exstant marginalia vel in vetustissimo codice C. Fere conspirat in eis codex Dorvillianus cum recentioribus Parisinis libris, e quibus optimus B (No. 2708), quod fit etiam in codice Gudiano 74, nomen *Πρόκλου διαδόχου* prae se fert. Alia sunt a Ioanne Tzetza conscripta, optime conservata in codice Cantabrigiensi. Quibus accedunt ea, quae reliquit Man. Moschopulus, optime in libro Tricliniano servata.[1]) Nullius sunt pretii scholia Maximi

1) Quis sit hic Moschopulus, Cretensis ille maior natu an eius patruelis, id pro certo non licet affirmare. Priori vindicavit haec scholia

Planudis, quae iacent adhuc inedita in codice Neapolitano 165. Ad Dies peculiarem scripsit exegesim physicam Ioannes Protospatharius, quam et ipsam invenies in scholiorum editione Gaisfordiana. Sunt praeterea quaedam scholia in Hesiodeam de Pandora fabulam in codice Parisino: *εἰς τὸ παρ' Ἡσιόδῳ κλαπὲν πῦρ ὑπὸ Προμηθέως καὶ εἰς τὴν ἀποσταλεῖσαν Ἐπιμηθεῖ Πανδώραν* et *ἄλλως εἰς τὸ αὐτό.* „Fragmenta fortasse illius commentarii, quem conscripsisse Proculeium Syrum dixit Suidas" credebat Flachius.[1]) Et de his scholiis et de commentario Protospatharii infra erunt quaedam dicenda.

Procli quae nunc feruntur scholia, ea diu ignota fere manserunt: nam excerpta tantum eorum in Trincavelliana editione ad Moschopuli exegesim erant adscripta. Primus Gaisfordius e Parisino C, Dorvilliano, aliis libris ea, quae nunc legimus, publici fecit iuris. Statim Rankius, vir doctissimus exclamavit[2]) totum Proclum nos manibus tenere: cautior fuit Schoemannus[3]), qui Proclum quoque mancum esse ea ratione ostendere instituit, ut demonstraret apud Tzetzam nonnulla sub nomine Procli legi, quae in ipsis scholiis Proclianis desiderarentur. Hac via, quam Schoemannus incohavit magis quam absolvit, progressus est deinde Usenerus[4]), cum demonstraret

---

qui subscripsit libro Matrit. LXXV ann. 1334 (V. Iriart. p. 272): *τέλος τοῦ ἡσιόδου ἐξηγηθέντος παρὰ τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου κυρίου Μανουὴλ τοῦ Κρήτης.* Ita etiam N. Titzius in dissertatione sua, quam conscripsit de studiis Manuelis Cretensis 1822. Librarius autem Tricliniani codicem hoc modo finivit: *τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου κυρίου Μανουὴλ τοῦ Μοσχοπούλου ἀνεψιοῦ τοῦ Κρήτης ἐξήγησις.* Sed, nisi egregie fallor, patruus ille ne habebat quidem nomen Manuelis, verum Nicephori: Cf. Krumbacherum in Iw. Müller „Handbuch der class. Alterthumswissensch." IX 251; ergo potius loco altero sub illa singulari Byzantina forma *Κρήτης* invenies fortasse Nicephorum Moschopulum Cretensem notissimum metropolitam. — Scholia primus edidit Trincavellius Venetiis 1537, Tzetzae exegesim Birchmannus Basil. 1542, Proclum separatim Vollbehrius in editione Operum Kiloniensi 1844. Omnia scholia coniunxit Gaisfordius. Editione utimur Lipsiensi (1823).

1) Edidit haec fragmenta H. Flachius in libro „Glossen und Scholien zur hesiodischen Theogonie" Lipsiae 1876 (cf. ed. Goettl.[3] p. LIX).

2) „De Hesiodi Operibus et Diebus commentatio" 1838 p. 1 sqq.

3) „De veterum criticorum notis ad Hesiodi Op. et D." Opusc. Acad. III 47 sqq. 4) Rhein. Mus. XXII p. 587 sqq.

1) Proçliana alibi (e. g. in Monacensi cod. 91) pleniora exstare 2) multa latere apud Tzetzam 3) vel ex Moschopuleis quaedam posse recuperari aliunde ignota. Hanc dissertationem Useneri si placet accuratius nunc examinemus.

Erravit enim vir doctissimus, qui ex scholio codicis Monacensis ad v. 97 i. e. scholio Moschopuli redundare aliquid ad restituenda scholia vetera crederet. Nam usque ad verba *δοκοῦσι δὲ καὶ ἑκάτεροι* Moschopulus nihil habet, quod non legimus in scholiis antiquis: post haec verba suam ipse sententiam protulit, qua discimus illum quoque versum 99 iam legisse, grammatico veteri prorsus ignotum. In eo quoque erravit Usenerus, quod allato e libro Monacensi scholio Plutarchi nomine conspicuo (ad v. 25) affirmavit, quoniam ista in reliquis scholiis Proclianis non invenirentur, plura e scholiorum collectione quadam veterrima conservata esse in Monacensi. Minime ita: sunt enim Plutarchi quidem illa verba, sed sumpta ex libro, qui est de tranquillitate animi p. 473 a. Hoc tamen inde lucrati sumus: auctorem scholiorum Monacensium fuisse virum doctum, qui vetera scholia non solum transcribenda, verum etiam augenda, fortasse corrigenda quoque sibi proposuisset. Quam ob rem si quae apud eum locupletiora inventa erunt, ea cautissime erunt adhibenda, praesertim cum constet ne illum quidem abstinuisse a scholiis pluribus in unum contaminandis. Conferas scholium ad v. 41 (fol. 315^{v}), quo loco scholia Procli et veteris scholiastae conflavit. Correctricem manum deprehendis in scholio ad v. 524, quod vulgo dicitur Procli. Hic enim error subest in Aristotelis citatione, cuius ex sententia polypodas constat non a *παγούροις*, sed *ὑπὸ τῶν γόγγρων* (hist. anim. 8, 2) exesos esse. Perspexit errorem librarius Monacensis et optime correxit, nec tamen ex Aristotele ipso, sed ex Athenaeo (7, 316 f.).

Ceterum in universum de scholiis Hesiodeis optime iudicavit Usenerus longeque superavit, quae incohata reliquerunt et turbata adeo in quibusdam Rankius et Vollbehrius. Post Usenerum conatus est Waeschkius[1]) et brevi post etiam

---

1) Commentationes philologae in honorem G. Curtii. Lips. 1874 p. 150 sqq.

Flachius[1]) fontes grammaticos scholiorum veterum aperire. Ille studebat Aristarchi, hic (a Waeschkio nonnihil dissentiens) eiusdem Aristarchi et insuper Aristonici studia Hesiodea resuscitare. Iam nostrum est proferre, si quae accuratius intelleximus ipsi.

Scholiorum Proclianorum syllogen nunc esse decurtatam vel inde est manifestum, quod in libris in universum quidem eadem, ex eodem nimirum fonte, exhibentur, nonnulla tamen et quidem alia in aliis codicibus desiderantur. Ne plura afferam (nam etiamsi magna diligentia suo munere functus est Gaisfordius, tamen non solum in recensendis, sed etiam in colligendis scholiis quaedam minus recte administravit): statim initio ad v. 9 (p. 42 not. m) alia atque in ceteris libris in Dorvilliano codice traduntur, eorumque non exigua pars prorsus est nova et vocabulo *ἄλλως* instructa; ad v. 8 (p. 41 not. i) in eodem codice post illa, quae etiam alii libri exhibent, fere alterum tantum additur; ad v. 11 post vulgata in ceteris reperiuntur in eodem libro, quae quidem non sunt nova, sunt enim addita vulgatis per illud *ἄλλως*, hic tamen ipsis Proclianis adiuncta reliquaque memoria pleniora. Quid quod vel in recentioribus codicibus nonnunquam plura adsunt? Ut in primis versibus me contineam, afferam exemplum codicis Parisini 2833, qui ad v. 16 (p. 49 not. q) praeter reliquos additamentum habet satis magnum, quod prorsus eundem hominem redolet, cuius est scholium ad v. 169 sub *ἄλλως* conservatum. Satis haec erunt ad rem demonstrandam. Profecto multifariam iacturam fecit haec sylloge inde ab aetate archetypi eorum librorum, qui exstant, et fortasse iam ante.

Idem nos docet Tzetzes. Qui fere quot sunt versus, totiens reprehendit loquacitatem Procli atque id saepissime eis locis, ubi nunc Procliana admodum exigua supersunt. Sed ne nimis multum huic reprehensioni tribuamus (exempla[2]) non

1) Jahrbüch. für Phil. 1877 p. 433 sqq. Cf. etiam eius „Glossen und Schol. zur hesiod. Theogonie" 1876.

2) Unum tamen significabo, cum nesciam an inde liceat concludere, Proclum interdum versus immiscuisse suae interpretationi, id quod per se non abhorret ab eius ingenio. Sunt verba Tzetzae ad v. 222 (p. 166): *ὁ δὲ μακρηγορίας ἀκαίρους ζητῶν ὁράτω τὸν Πρόκλον.*

affero): illa adeamus Tzetziana, in quibus certa insunt argumenta, unde discamus eum Procli scholia novisse uberiora quam nunc sunt. Statim ad v. 1 (p. 23 sq.) miraberis Proclum, quem Tzetza loquacitatis arguit, paucissima explicare de Musis, quod tamen argumentum minime alienum erat ab eius studiis. Contra apud Tzetzam fere vicies totidem sunt (p. 25—36) multaque supra huius doctoris ingenium, veluti quod affert nomina rarissimae memoriae: Melissei[1]) auctoris Delphicorum, Lysimachi[2]) Cyrenaici, qui scripsit *περὶ ποιητῶν*. Profecto non suae doctrinae ista debet grammaticus. Sed sunt vel multo graviora argumenta. In media enim disputatione sua subito Tzetza exclamat (p. 28): *ἀλλὰ τί μακρηγορεῖν ἡμᾶς ἀναγκάζεις; ... ἀλλ' ἰδού σοι πειθόμενος ἐξημάρτηκα καὶ τὸν λόγον τοῖς λήροις Μουσῶν καταλόγοις ἐκτέτευχα ... τὸ δὲ νῦν ἀκαίριον πολυλόγημα σὸν λογιζέσθω ἁμάρτημα.* Et ne dubitemus, quis sit, quem tanta gravitate increpitans nihilo minus, ut ipse confitetur, expilaverit, ponit ipse illius nomen: *καὶ σφαίρας ἐννέα, ἐν αἷς αἱ Μοῦσαι κατὰ τὸν Πρόκλον βαδίζουσιν* (p. 30) pergitque: *ἀλλὰ καὶ τοῦτο πάλιν τὸ μακρολόγημα σόν ἐστιν. ἄνωθι γὰρ παρὰ σοῦ προτραπεὶς ἁπάσας τὰς Μούσας εἰπεῖν κτλ.* (p. 31). Plurima ergo de Musis apud Proclum invenit, e quibus in ipsis Proclianis nunc tantum vestigia quaedam tenuissima supersunt.

Ad v. 82 (p. 97) Tzetzes dicit: *ἐδώρησαν· Ἀττικὴ ἀποκοπή. κἂν καὶ τοῦτο ὁ Πρόκλος Ἰωνικὸν λέγῃ.* In Procli scholiis tale quid inveniri nusquam potest. Ad v. 346 (p. 225)

ἡμεῖς γὰρ οὐ λῆρον ἀσκοῦμεν ψυχρῶν λογυδρίων, ἀλλὰ τὰ καίρια γράφομεν, μηδὲ τὰς λέξεις φυσῶντες καὶ διογκύλλοντες στομφαστικῶς καὶ μετεώροις λαβράσμασιν, ἀλλὰ πεζῇ καὶ ἁπλοϊκῇ καὶ συνηθεστέρᾳ τῇ λέξει κεχρήμεθα κτλ. Quamquam non pugnabo, si dixeris haec potius pertinere ad Neoplatonicorum ambages mysticamque obscuritatem.

1) Utrumque Tzetzes semel etiam in Chiliadibus nominavit: Melisseum 6, 90; Lysimachum 6, 920. De Melisseo nihil compertum habeo.

2) Accedit, quod nobis Cyrenaicus Lysimachus ne notus quidem est, Alexandrinus vero ille grammaticus (cf. Radtkium „De Lysim. Alexandrino" 1893), quantum scimus, non scripsit *περὶ ποιητῶν*. Itaque ego quoque maluerim cum Müllero (Fragm. Hist. Gr. 3, 342) Tzetzam hoc loco neglegentiae accusare, qui fortasse nomen Lysaniae Cyrenaici, auctoris libri *περὶ ποιητῶν*, male ex Proclianis exscripserit.

habet Tzetzes: *δείκνυσι τοῦτο Πλούταρχος. Θεμιστοκλέα γάρ φησιν ἢ Κάτωνα πιπράσκοντα τὸν ἀγρὸν λέγειν, ὅτι ἀγαθὸν ἔχει γείτονα.* Ex ipsius Plutarchi scriptis haec Tzetzes non hausit, hoc pro certo affirmare licet; aliter non erravisset. Eandem ob causam ne commentarium quidem Plutarchi legit, sed illum, cuius omnia sunt Plutarchea, Proclum. Apud quem tamen nunc legimus varia ex rerum historia petita exempla ut Plutarchea, de Themistocle autem eiusque celeberrimo dicto Proclus alio loco (ad v. sq.) agit neque se id Plutarcho debere dicit. Quod tamen quin ipsum quoque Plutarchi sit, nemo dubitabit. Itaque pleniorem legit Tzetzes Proclum.

Non recte hoc loco Usenerus duo alia exempla apposuit, scholia ad v. 293 et 378. Sunt autem ad v. 293 (p. 201) haec verba Tzetzae: *τοὺς δὲ τοῦ Πρόκλου Ζήνωνας καὶ Ἀριστάρχους περιεατέον ὡς περιττούς.* In Proclianis vero sane fit mentio Zenonis (p. 200), sed post eum Aristippi Socratici. Negavit errorem Tzetzam commisisse Usenerus statuitque potius desiderari nunc quandam ab Aristarcho factam athetesim versus 294, quem dicit Aristotelem et Zenonem non agnovisse: hanc athetesim a Tzetza illis verbis repudiari. Minime ita. Ut infra videbis, Aristarchus hunc versum in sua recensione omnino non habuit, ergo nihil ad eum adnotavit. Neque, si scriptum erat hoc loco de athetesi Aristarchea, veri simile est aequo animo de hac re Tzetzam verba facturum fuisse. Audias quaeso illius de talibus clamores ad v. 32, 157, 239 sim. Profecto confudit eo, de quo diximus, loco aut Tzetzes ipse aut, quod magis arridet, librarius, cui Tzetziana debentur, Aristarchi et Aristippi nomina, fortasse scripturae compendio deceptus. Similis est error, si p. 18 cum Müllero recte diximus pro Lysimacho restituendum esse nomen Lysaniae.[1])

Erravit etiam in altero exemplo (ad v. 378) Usenerus. Ibi sunt verba Tzetzae (p. 239): *οἱ περὶ Πρόκλον καὶ Ἀρίσταρχον ἢ* (*καὶ* Us.) *Πλούταρχον ἀδιανόητον τοῦτό φασιν εἶναι καὶ περισσόν.* Res manifesta est. In scholio anonymi illius, quem ego aut Veterem aut Grammaticum vocabo, quem cum Proclo

1) Cf. praeterea in scholiis ad Opera p. 64 pro Herodoro Herodotum (alia apud Wesselingium in dissertatione Herodotea c. 3 sqq.) vel p. 318 pro Cratete Isocratem (cf. Etym. Magn. p. 594, 48).

fere semper confundit Tzetza, haec tantum leguntur (p. 238): *τὸ δέ γε 'γηραιὸς δὲ θάνοις' παρέγγραπτον ὡς ἀδιανόητον.* Quid ergo? Plurane legit Tzetzes? Minime. Docta nomina, ut imponeret auditoribus, finxit: neque enim ignorabat et Proclum et Veterem illum in explicandis huiuscemodi notis criticis praeter Aristarchi et Plutarchi nomina nulla adhibuisse.

Unum hic addamus exemplum. Ad v. 338 (p. 221) Melanthium tragicum laudat Tzetza, sane non de suo. Eundem versum cum Plutarchus commemoret de cohib. ira p. 453e et de sera num. vind. p. 551a, dubitari nequit, quin attulerit etiam in commentario. Exscripsit inde Proclus, nunc autem apud Tzetzam tantummodo invenitur, qui Proclum exscripsit.

Et quoniam satis est demonstratum Tzetzam adhibuisse multo locupletius exemplar Procli, videamus de auctore Etymologici, quod vulgo Magnum vocatur. Hic quoque pauca exempla proponere satis sit. Ad v. 477 (p. 295) quae nomine Procli adscripta sunt, ea recurrunt in Etymologico (p. 401, 14): *εὐοχθέων δ' ἵξεαι πολιὸν ἔαρ· Ἡσίοδος, ἀντὶ τοῦ χαίρων. πλήθων τῆς ὀχῆς· ὀχὴ δὲ ἡ τροφή· εἴρηται δὲ κατὰ πλεονασμὸν τοῦ θ. ἢ ὄχθος λέγεται ὁ κόπος· εὐοχθέων οὖν ὁ καλῶς ἔχων τοῦ κόπου, ὁ εὖ κεκοπιακώς. ἢ ἄχθος ἡ λύπη· εὐαχθῶν δὲ τοὐναντίον χαίρων. πλήθοντος τοῦ καρποῦ, εὐοχθέστερον παραγένῃ ἐπὶ τὸν καθαρὸν καιρὸν τοῦ ἔαρος. ἰστέον ὅτι τὸ εὖ μόριον αἰεὶ καὶ διαπαντὸς ἀντὶ τοῦ καλῶς παραλαμβάνεται πλὴν τοῦ εὐώνυμος χείρ.* Ipsum scholion in Etymologico est locupletius: deest tamen Euripidis versus. Qui cum ne in Procliano quidem scholio suo loco sit positus, transponendus est, et quidem ita, ut exemplum sit ad ea, quae suppeditavit Etymologicum: *ἀντὶ τοῦ καλῶς παραλαμβάνεται.* Deinde ad v. 524 (p. 316) in Etymologico prorsus sunt (p. 111, 6) eadem, polypodis a Clitarcho nomen *ἴουλον* poni traditur, non *ἀνόστεος*, ut est in scholiis. Denique pleniorem fontem agnosces, si comparaveris cum Etymologico (p. 594, 46), quae exstant ad v. 530 (p. 318) nomine Procli. Hic enim (si quidem est Proclus) vocabulum *μυλιόωντες* hoc modo illustrat: *διεστραμμένοι καὶ συγκαμφθέντες ὑπὸ τοῦ κρύους ἢ τὰ χείλη κινοῦντες ὑπὸ τῆς ψυχρότητος. Κράτης δὲ γράφει μαλκιόωντες.* Sed in Etymologico et priora melius et Cratetea lectio explicatur: *μυ-*

λιόωντες· Ἡσίοδος· τὰ χείλη κινοῦντες ἀπὸ τῆς ψύχρας ἢ συνάγοντες· ἢ τὰς μύλας συγκρούοντες. Κράτης γράφει μαλκιόωντες. ἔστιν δὲ τὸ διὰ τὸ ψῦχος μὴ ἔχειν εὐκινήτῳ δυνάμει χρήσασθαι. Quid? quod in scholiis vitiose est scriptum *Ἰσοκράτης*, Cratetis nomen debetur uni Etymologo?

Aliunde quoque licet demonstrare Procli scholia olim pleniora fuisse. Ad v. 375 (p. 237) in Proclianis explicatur vocabulum *φιλήτησι* ita, ut ne verbo quidem moneamur de scriptura *φηλήτησι* absintque aliorum poetarum exempla. Tzetza de utraque saltem forma verba facit. Quam autem copiose olim haec sint exposita, testis est Eustathius, qui haec habet (ad Il. p. 194,31; cf. ad Odyss. p. 1889,1; ad Il. p. 781,12.): *ὡς τὸ ὑφελέσθαι, ἀφ' οὗ καὶ τὸν φιλήτην παράγουσί τινες τῶν παλαιῶν σχολιαστῶν τοῦ Ἡσιόδου, ἵνα ᾖ φιλήτης ὁ παρὰ Ἡσιόδῳ μὴ ἀπὸ τοῦ φηλῶ φηλήσω τὸ ἀπατῶ· αὐτὸ γὰρ τρίτης ἐστὶ τῆς συζυγίας, ὡς δηλοῖ παρὰ Λυκόφρονι τὸ φηλώσας πρόμον.* et p. 781, 13: *διὸ καὶ τὸ 'πέποιθ' ὅγε φιλήτησιν' οὐ διὰ τοῦ η ἔχει τὴν ἄρχουσαν ἐν τοῖς ἀκριβέσιν ἀντιγράφοις, ἀλλὰ διὰ τοῦ ἰῶτα, καὶ δηλοῖ οὐκ ἀπατεῶνα ὡς ἀπὸ τοῦ φηλεῖν, ἀλλὰ κλέπτην παρὰ τὸ ὑφελεῖν, ὡς ἑτέρωθι κρειττόνως γέγραπται.* Haec docuit Usenerus collato scholio codicis Monacensis omnia ad verbum fere ex uberiore sylloge Proclianorum exscripta esse.

Conficitur res, si licet ex ipsius Procli aliis scriptis argumenta proferre. Velut quae in commentariis, quos in Platonis Rempublicam composuit, de generibus humanis apud Hesiodum exposuit[1]), ea comparemus cum Proclianis, quae nunc exstant ad ipsum Hesiodum. Erit autem satis apponere haec: *ὁ μὲν θεολόγος Ὀρφεὺς τρία γένη παραδέδωκεν ἀνθρώπων· πρῶτον μὲν τὸ χρυσοῦν, ὅπερ ὑποστῆσαι τὸν Φάνητά φησιν· δεύτερον τὸ ἀργυροῦν, οὗ φησιν ἄρξαι τὸν μέγιστον Κρόνον· τρίτον δὲ τιτανικόν, ὅ φησιν ἐκ τῶν τιτανικῶν μελῶν τὸν Δία συστήσασθαι· συννοήσας ὡς τοῖς τρισὶν ὅροις τούτοις πᾶν εἶδος περιέχεται τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς. ἢ γὰρ νοερόν ἐστι καὶ θεῖον, αὐτοῖς τοῖς ἀκροτάτοις τῶν ὄντων ἐνιδρυμένον, ἢ πρὸς ἑαυτὸ ἐπέστραπται καὶ νοεῖ*

1) Anecd. varia gr. et lat. ed. R. Schoell et G. Studemund 1886 II p. 38 sqq.

ἑαυτὸ καὶ ἀγαπᾷ τὴν τοιαύτην ζωήν, ἢ πρὸς τὰ χείρονα βλέπει καὶ μητ' ἐκείνων ἐθέλει ζῆν ἀλόγων ὄντων. τριττῆς οὖν οὔσης τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς, τὸ μὲν πρώτιστον ἀπὸ τοῦ Φάνητός ἐστιν, ὃς αὐτὸ νοοῦν συνάπτει τοῖς νοητοῖς, τὸ δὲ δεύτερον ἀπὸ τοῦ Κρόνου τοῦ πρώτου, φησὶν ὁ μῦθος, ἀγκυλομήτου καὶ πάντα πρὸς ἑαυτὸν ποιοῦντος ἐπιστρέφειν, τὸ δὲ τρίτον ἀπὸ Διὸς τοῦ τῶν δευτέρων προνοεῖν καὶ διακοσμεῖν τὰ χείρονα διδάσκοντος· τοῦτο γὰρ ἴδιον δημιουργίας. ὁ δέ γε Ἡσίοδος κτλ. Censesne ad Hesiodum philosophum Neoplatonicum nihil scripsisse nisi quae nunc exstant (p. 121): *ὁ μὲν Ὀρφεὺς τοῦ ἀργυροῦ γένους βασιλεύειν φησὶν τὸν Κρόνον, τοὺς κατὰ τὸν καθαρὸν λόγον ζῶντας ἀργυροῦς λέγων, ὥσπερ τοὺς κατὰ τὸν νοῦν μόνον χρυσοῦς. ὁ δὲ Ἡσίοδος κτλ.*?

Ut summam faciam: excerpta, sive mavis, excerptorum excerpta sunt, quae circumferuntur Procliana.

2.

Non esse omnia, quae Procli nunc nomine conspicua sunt, ex uno eodemque fonte profecta, huius rei indicio est vel formula illa *ἄλλως*, qua ad alium relegamur auctorem. Sed saepissime etiam in eis, quae continuatam inter se memoriam exhibere videntur, ratio postulat, ut a Proclo quaedam abiudicemus. Hoc ut certa via ac ratione fiat, paucis mox illustrabo Proclianum interpretandi genus. Interim e re erit ex Tzetzianis aliquid in hunc usum convertere. Dicit enim ille ad v. 155 (p. 134): *ἐκπάγλους· καταπληκτικούς, φοβερούς, ἐκ τοῦ ἐκπλήσσω. ἀλλὰ τί ἐν τοῖς πάνυ σαφέσι πολυλογοῦμεν, καθάπερ τινὲς ἕτεροι, οἱ τὰ λόγου ἐχόμενα καὶ τὰς ἀλληγορίας παρέντες, περὶ τὰ τοιαῦτα ἐχρονοτρίβησαν.* Haec de grammaticis scribere ille potuit, de Proclo allegoriae patrono (cf. p. 128) non potuit. Ergo fuit olim inter Procliana verba, quod erat grammatica doctrina conspicuum. Idem Tzetza ad v. 286 (p. 198) cum irrisione quadam: *τυχὸν γάρ τις* (!) *ἐθέλει γραμματικὴν ἀρετὴν ἐπικτήσασθαι, καὶ οὐκ εὐθέως αὐτῆς γίνεται μέτοχος, ἀλλὰ πρότερον αὐτὸν ἐκδίδωσι τοῖς στοιχειώδεσι γράμμασι, εἶτα ταῖς συλλαβαῖς καὶ τῇ λοιπῇ παιδείᾳ, ἔπειτα τῇ Διονυσίου βιβλίῳ προσέχων καὶ τοῖς Θεοδοσίου κανόσι καὶ ποιηταῖς· εἶτα σχεδογραφίας ἀπάρχεται· καὶ πολλὰ πολλοῖς*

μογήσας τοῖς χρόνοις μόγις τὴν ἀρετὴν ἐπικτᾶται. Quae fortasse in universum et de suo a Tzetza dicta sunt, in Proclum certe nullo modo quadrant: quidni accipiamus de alio quodam, qui sine dubio, ut postea elucebit, Dionysii et Theodosii libris saepe utebatur.

Sed redeat oratio ad Proclum. Qui quo consilio ad Opera interpretanda accesserit, ipse in prolegomenis aperuit (p. 1): *τὰ δὲ Ἔργα καὶ τὰς Ἡμέρας* (sc. *Ἡσίοδος συνθεῖναί μοι δοκεῖ*) *εἰς οἰκονομίαν καὶ ἀπράγμονα ζωὴν παρακαλῶν τοὺς ἀνθρώπους ἀπὸ τῆς ἀγοραίου καὶ φορτικῆς, οὐχ ἁπλῶς εἰς ἡδονὴν ἀποβλέπων τῶν ἐντευξομένων, ἀλλὰ ταύτην μὲν πάρεργον θέμενος, τὴν δὲ ὠφέλειαν τὴν εἰς τὸ ἦθος προηγούμενον σκοπὸν ποιησάμενος, ἵνα τὸν ἴδιον βίον κοσμήσαντες οὕτω καὶ τῆς περὶ τὸ θεῖον γνώσεως ἐπήβολοι γενώμεθα. διὸ καὶ ἀπὸ τούτου προσήκει τοῦ συγγράμματος ἄρχεσθαι· τοὺς γὰρ τὸ ἦθος ἀκοσμήτους τὸν κόσμον γνῶναι παντελῶς ἀδύνατον. ὁ μὲν οὖν σκοπὸς τοῦ βιβλίου παιδευτικός· τὸ δὲ μέτρον ὥσπερ ἥδυσμά τι τῷ σκόπῳ τῆς ἑρμηνείας ἐπιβέβληται.* Qui ad Hesiodum hoc animo adiit, nihil spectare potuit, nisi ut ex carmine quaereret, quae pertinerent ad emendandos mores. Cuius rei exempla sunt plurima. Interim pauca satis habeo significare. Veluti scholium ad v. 106 (p. 106): *τὸ ἐκκορυφῶσαι δηλοῖ τὸ ἀποκαλύψαι καὶ εἰς ἄκραν γνῶσιν ἡμᾶς ἀναπέμψαι τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως. δηλοῖ δὲ τὸ ἐπαγόμενον. τὸ γὰρ 'ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι' προτρεπτικῶς μὲν εἴρηται εἰς ἀρετήν.* Vel ad v. 286 (p. 196): *κάλλιστα τὸ φιλόσοφον ἦθος οἷόν ἐστιν εἰπεῖν διὰ τούτων ὁ Πλούταρχός* (*φησιν*) *δηλοῦσθαι. τὸν μὲν γὰρ Ἀρχίλοχον καὶ τὸν Ἱππώνακτα βλασφημίας συγγράψαι κατὰ τῶν λυπησάντων ... ἀλλὰ τὸν ὄντως μουσικὸν Ἡσίοδον μηδὲν τοιοῦτον παθεῖν· οὐ γὰρ μουσικοῦ τὸ μελαγχολᾶν· λυπηθέντα δὲ πρὸς τὸν ἀδελφόν, ἀντὶ τοῦ βλασφημεῖν, νουθετεῖν, εἰδότα τοῦτο δὴ τὸ τοῦ Σωκράτους, ὅτι πᾶς ὁ κακὸς ἄκων ἐστὶ κακός· δεῖται οὖν νουθεσίας καὶ ἴσως ἐπιγνώσεται ἑαυτὸν ὄντα κακόν.* His adde, quae sunt ad v. 709 (p. 384): *τοῦτο κινητικόν ἐστι τοῦ ἀμυντικοῦ τῆς ψυχῆς· δεῖν γὰρ κτλ.* Omnia proverbia ille pro praeceptis ethicorum habuit; vide ad v. 727 (p. 393): *διὰ τούτων εἰς εὐσχημοσύνην παιδεύει καὶ τὰ ἀναγκαῖα*

κελεύων εὐσχημόνως ἐκπληροῦν. Vel quae dicit ad v. 794 p. 403): *τοιοῦτο οὖν καὶ τὸ ἐπιτιθέναι τῷ κρατῆρι τὴν οἰνοχόην συμβολικὸν παίδευμα, τουτέστι μὴ ἔμπροσθεν ἄγειν τοῦ κοινοῦ τὸ ἴδιον.* In explicanda historia fabulari fuisse eum fusissimum vidimus et supra ad v. 1 e Tzetzianis illis, et docent idem, quae adscripta sunt ad Pandoram et Aetates. Historias quas dicunt illustrandi causa larga manu profundit; conferas scholia adscripta ad vv. 346, 348, 706, 707, 719, 722, 760, alios. Saepissime philosophicas rationes sanae interpretationi anteposuit, cuius rei luculentissimum exemplum invenias in Pandorae fabula a Proclo explicata. Platonem saepissime adhibet[1]), sine dubio olim saepius etiam quam id fit in eis, quae aetatem tulerunt: nimirum talia facilius quam reliqua interierunt.

Potuitne talis interpres in explicando sensu singulorum vocabulorum, ne dicam in etymis quaerendis aliisque grammaticis rebus tractandis, multum et diu versari? Audi modo, quae ipse testatur ad v. 571 (p. 335 sq.): *ὁ μὲν Θρᾷξ Διονύσιος ἔλεξε φερέοικον τὸν κοχλίαν· ἐπιτιμῆσαι δέ φησιν αὐτῷ τινα τοῦτο λέγοντι Ἀρκάδα, εἶναι γὰρ ἐν Ἀρκαδίᾳ τὸν φερέοικον, δρᾶν μελίττῃ ἐοικότα, σμικρότατον, κάρφη καὶ συρφετὸν ἑαυτῷ συνάγοντα, στεγοποιεῖσθαι διὰ τοὺς χειμῶνας, βαίνειν δὲ ἀνὰ τὰ φυτὰ θέρους· τὸν δὲ κοχλίαν μὴ φαίνεσθαι θέρους, ἀλλ' ὁπόταν ὄμβρος γένηται, ἀναδυόμενον φαίνεσθαι διὰ τῶν φυτῶν βαίνειν, ἕλκοντα τὸ κοῦφον ἐξόπισθεν ὄστρακον. τοῦτο μὲν οὖν ὅπως ἂν ἔχῃ χαιρέτω. παρακελεύεται δὲ μετὰ τούτου κτλ.* Censesne, qui tanto studio ex grammatica quaestione festinat ad cohortativam suam interpretationem, eundem scripsisse ad v. 408 (p. 260) haec: *σὺ δὲ τητᾷ· τουτέστι στερίσκῃ τοῦ ὀργάνου καὶ τοῦ ἔργου· τὸ γὰρ τητᾶσθαι τὸ στερίσκεσθαι δηλοῖ· τητῶμαι γὰρ τὸ πρῶτον ὡς βοῶμαι, καὶ τητᾷ τὸ δεύτερον ὡς βοᾷ κτλ.*, vel ad v. 302 (p. 203) haec: *λιμὸς θηλικῶς λέγεται παρὰ τοῖς Δωριεῦσι?* Tamen non minus haec sub nomine Procli exstant, non addito *ἄλλως.* Iam cum ad v. 308 (p. 206), ut exemplum proferam, multa de usu vocabuli *ἔργα* tribuantur Proclo, eadem paulo

1) Cf. ad vv. 15, 41, 111, 198, 273, 308, alios versus.

post brevius sub *ἄλλως* repetantur, quis dubitabit, quin etiam priora fuerint eiusdem illius grammatici, qui latet sub formula *ἄλλως*, Procli neutra? Quid autem dicendum erit de eis, quae ex veterum crisi Hesiodea supersunt in scholiis? Hic ne dubites, testem rursus advocabo ipsum Proclum. Hausit ille ex fonte suo (quode infra) in prolegomenis etiam quae pertinent ad prooemii athetesim Praxiphaneam et Aristarcheam. Ipse tamen cum agnosceret prooemium, vide, quam Aristarcheae rationis securus sit hariolatus. Totum tenes Proclum, cum Praxiphaneae sententiae haec iniungat (p. 4): *καὶ γὰρ τοῦτο πρέπον ἦν, ὡς ἔοικε, ἀνδρὶ γράφειν ἄνευ σκηνῆς ποιητικῆς ἐγχειροῦντι καὶ πρὸ θυρῶν ὄγκον ἐπιδεικνυμένῳ περιττόν. ἐπάγεται δέ τινας τὸ μὴ ἀπὸ τοῦ Ἑλικῶνος καλεῖν, Βοιωτὸν ὄντα, τὰς Μούσας, ὥσπερ ἐν τῇ Θεογονίᾳ πεποίηκεν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς Πιερίας, εἰς τὸ μὴ προσίεσθαι τὸ προοίμιον. τάχα δ' ἂν εἴη καὶ τοῦτο παιδευτικόν, εἰς τὸ μὴ πάντα τὰ οἰκεῖα σεμνύνειν, ἀλλὰ καὶ τὰ παρ' ἄλλοις ὄντα μειζόνως ἀγαθὰ προτιμότερα τῶν οἰκείων τίθεσθαι κτλ.* Ceterum solet in grammatica doctrina proferenda acquiescere in copiis Plutarcheis. Unde fit, ut saepe satis habeat opponere illis Plutarchum. Legas quae sunt ad v. 370 (p. 230): *τούτους δὲ τοὺς στίχους ἐξέβαλόν (τινες), ὁ δὲ Πλούταρχος ἐγκρίνει. δεῖν γὰρ καὶ τὸν φίλον συνεργὸν παραλαμβάνειν ἐπὶ ὡρισμένῳ μισθῷ.* Ne intellexit quidem hoc loco Proclus, cur in suspicionem versus vocarentur. Sane quibusdam persuasum erat eos ut proverbia aut aliorum aut nullius omnino auctoris esse, si quidem tale quid efficitur ex illis Aristotelis verbis[1]), quae pertinent ad versum 370. Iure profecto mihi videor a Proclo abiudicare, si quae sunt tam exquisitae doctrinae, quam sunt, quae exstant ad v. 97 (p. 103): *τοῦτο δὲ καὶ Κωμανὸς ὁ ἀρχιοινοχόος τοῦ βασιλέως προὔτεινε. φησὶν οὖν Ἀρίσταρχος, ὅτι ἡ μὲν κακῶν ἔμεινε κτλ.*, vel ad v. 529 (p. 318), ubi Cratetis illa lectio et affertur et explicatur. Mea quidem sententia ab ingenio Procli alienus est vel artis vocabulorum usus, quae frequentant grammatici, quorumque habes exempla in Proclianis, quae sunt ad v. 277 (p. 191) et — plura autem hac de re infra — ad

1) Ethic. Nicom. IX p. 1164ᵃ 27; Ethic. Eud. VIII p. 1242ᵇ 34.

v. 182 (p. 146). Ista omnia tribuo Veteri Grammatico, de quo nunc sum dicturus, quoniam quomodo factum sit, ut ad Proclum transferrentur multa, quae ille adnotavisset, optime iam indicavit Usenerus (l. l. p. 595) eritque mihi quoque paulo post redeundum ad hanc quaestionem.

Veteris illius interpretis, qui in rebus grammaticis maximam partem versatus est, nomen non est traditum. Nostrum igitur erit ab oblivione hominis memoriam vindicare. Qua in re cautissime est progrediendum, cum ne ea quidem, quae sub *ἄλλως* exstant, integra semper illi liceat attribuere. Initium igitur inde faciamus, ut quae et qualis fuerit eius in interpretando ratio, paulo accuratius definiamus.

In ipsis prolegomenis ille aliam viam atque Proclus ingressus est (p. 4): *μετὰ τὴν ἡρωϊκὴν γενεαλογίαν καὶ τοὺς καταλόγους ἐπεζήτησε καινουργῆσαι πάλιν ἑτέραν ὑπόθεσιν. καὶ δὴ καταχρησθέντων τῶν εἰς πολέμους καὶ μάχας καὶ τῆς γεωργίας διδασκάλων εἰσφέρει καὶ τῶν ἡμερῶν τὴν κρᾶσιν, πρόσωπον ἀναπλάσας καὶ παραλαβὼν τοῦ ἀδελφοῦ Πέρσου, εἴτε κατ' ἀλήθειαν, εἴτε κατὰ τὸ εὐπρόσωπον καὶ ἁρμόζον τῇ ὑποθέσει, ἵνα δύο πρόσωπα, καὶ ἵνα δόξῃ ἐξ ἔριδος τῆς κατὰ τὸν ἀδελφὸν εἰς τοῦτο ἐληλυθέναι. Ὡς δὲ ποιητὴς τὰς Μούσας καλεῖ, ἵνα δόξῃ* . . . .
Ergo, qua de re ne posse quidem dubitari umquam videtur Proclo in mentem venisse, de ea Vetus ille ita disputat, ut finxisse Hesiodum fratris personam non ab omni initio reiciat sententiam. Non probo equidem hanc sententiam: laudo tamen, quod opinione non praeiudicata ad rem ille est aggressus. Mox pergit grammaticus (p. 39*): *σφέτερον· καταπεφρόνηκε τῶν ἀντωνυμιῶν, β' γὰρ πρόσωπόν ἐστιν. ἔδει δ' εἰπεῖν ὑμέτερον, ἀλλ' ἀντὶ δευτέρου τρίτῳ ἐχρήσατο.* Et omnino multa sunt id genus grammatica. Conferas ad v. 10 (p. 42, not. m): *σύ, ὦ Ζεῦ, ὁ ἰδὼν τότε τὰς τιμωρίας τοῦ ἀδελφοῦ μου Πέρσου καὶ τὰς ἀδικίας, ἀρτίως ἀκούων ἐμοῦ ἐπάκουσον· καὶ πῶς τὸ ἰδὼν ἐστὶ δευτέρου ἀορίστου μετοχικοῦ καὶ παρεληλυθότος καιροῦ, τὸ δὲ ἀκούων ἐστὶν ἐνεστῶτος; τὸ θεῖον τὰ ἐνεστῶτα καὶ τὰ μέλλοντα ἀντὶ παρεληλυθότων ἔχει καὶ ὡς ἐν τῇ Ἰλιάδι· ὡς ἤδη τά τ' ἐσσόμενα κτλ.* Vel ad v. 58 (p. 82): *ἑὸν κακόν· ἐνταῦθα τὸ ἑὸν οὐχ ὑγιῶς κεῖται· ὤφειλε γὰρ*

εἰπεῖν σφέτερον· τὸ γὰρ σφῶν, αὐτῶν, τὸ δὲ ἑόν, αὐτοῦ σημαίνει. μέμφονται δὲ τὸν Ἡσίοδον οἱ περὶ Ἀπολλώνιον, ὅτι ἑνικῷ ἀντὶ τοῦ πληθυντικοῦ ἐχρήσατο, ὁμοίως δὲ καὶ Καλλίμαχος αἰτιᾶται διὰ τὸ αὐτό. Haec, qua est socordia, Tzetza Proclo attribuit (ad v. 56 p. 82), cum tamen distent toto coelo a Proclianis: *τοῖς ἀνθρώποις καὶ τοῖς ὑποδεξαμένοις τὴν ἄνωθεν κλαπεῖσαν ψυχὴν καὶ δεῦρο πεσοῦσαν δώσειν κακόν, τὴν Πανδώραν, ἤτοι τὴν ἄλογον ψυχήν, ἢ τερπομένους βιώσεσθαι τὸ ἑαυτῶν ἀγαπῶντας κακόν. τῷ λόγῳ γὰρ ἡ ἀλογία κακόν, ἀναγκαία δὲ ὅμως, ἵνα μὴ αὐτόθεν ἡ ψυχὴ κοινωνῇ τῷ σώματι.* Neque quisquam dubitabit, quin hae sint tantum reliquiae satis exiles copiosioris olim interpretationis.

Memoratu imprimis est dignum, quod nonnumquam Vetus ille addito nomine grammaticorum affert quasdam aut lectiones aut observationes. Veluti modo invenimus nomen Apollonii ad v. 58 p. 82, exstat nomen Seleuci ad v. 94 p. 102, Comani et Aristarchi ad v. 97 p. 103, Aristarchi ad v. 278 p. 186, Didymi ad v. 302 p. 294 etc. In interpretandis singulis vocabulis multus erat, ne eas quidem omittebat significationes, quae non in locum propositum convenirent, aliunde tamen innotuissent, Hesiodumque omnino solebat ex reliqua poeseos Graecae memoria illustrare. Confer ad v. 65 (p. 88): *γυιοκόρους· τὰς εἰς κόρον ἀγούσας τὰ γυῖα ἤτοι τὰς μέχρι κόρου ἐσθιούσας τὰ μέλη· ἢ τὰς φροντίδας τὰς κατεσθιούσας τὰ μέλη τοῖς χρωμένοις δηλονότι· ἢ μελεδῶνας τὰς τρεφούσας τὸ σῶμα, ὅθεν τὸ φροντίζειν περὶ τῆς γαστρός· γυναικὶ γὰρ οὐδὲν μέλλει ἄλλο ἢ μόνον τὸ σῶμα κατακόρως τρέφειν, ἢ ὅτι παναίτιοι τοῖς ἄνδρασι φροντίδων εἰσί.* Quibus non dubito, quin addenda sint, quae praecedunt: *καὶ τὰς γυιοκόρους δὲ μελεδῶνας ὡς τὰ γυῖα κοσμούσας. τὸ γὰρ κοσμεῖν καὶ καλλύνειν οἱ παλαιοὶ κορεῖν ἔλεγον· τὸ δὲ διδασκῆσαι ἀπὸ τοῦ διδασκῶ γέγονε περισπωμένου.* Vel ad v. 302 (p. 204): *τὸ μὲν ἀργὸν ζῆν ἑπόμενον ἔχει λιμόν, τὸ δ' ἐθέλοντα μὴ λιμώττειν, ἀντὶ τοῦ ἐργάζεσθαι πράγματα παρέχειν ἄλλοις, ἵνα ἀπὸ τούτων τρέφηται, κηφῆνος ἔργον ἐστὶ κεκεντρωμένου, τὸ μέλι κατεσθίοντος, ὅσον αἱ μέλισσαι συνάγουσιν. κόθουρος οὖν ὁ κηφήν, ὡς κεύθερός τις ὢν καὶ τὸ κέντρον κεκρυμμένον ἔχων· καὶ παρέλαβεν αὐτὸν ὡς ἀργόν· μόνον γὰρ τὸ ζῷον τοῦτο οὐ*

δύναται τροφὴν ἑαυτῷ πορίσασθαι. ἢ τὸ κοθούροις ἀντὶ τοῦ ἀργοῖς, παρὰ τὴν καθέδραν. ἢ κολούροις τὴν οὐρὰν καὶ τὸ κέντρον· καὶ γὰρ καὶ ἀργὸς καὶ ἄκεντρος. ἢ κοθούροις ἀντὶ τοῦ κόρῳ πλήθουσι. καταγέλαστος γὰρ ἂν εἴη τις τῶν μὲν ἀνθρώπων ἐλαττούμενος, τοῖς δὲ κηφῆσιν ὁμοιούμενος. κηφὴν ζῷον μελισσῶν ἀργότατον καὶ ἄκεντρον· κόθουροι δὲ ἢ ὅτι κάθηνται τουτέστι παρατηροῦνται τὴν ὥραν, ἐν ᾗ ἐκβαίνουσιν αἱ μέλισσαι, ἵνα ἐκλαθόντες ἐσθίωσι τὸ μέλι· ἢ τοῖς κολοβὴν οὐρὰν ἔχουσιν· ἀποκρύπτουσι γὰρ τὴν οὐράν. Δίδυμος δὲ κοτούροις, ὅτι κότον ἔχουσιν ἐν τῇ οὐρᾷ· κατὰ δὲ Ἀριστοτέλην[1]) ἀκέντροις. Ἀμερίας δὲ κακούργοις. μόνος δὲ Ἡσίοδος ἅπαξ τῇ λέξει ἐχρήσατο. Sed vel his, quae exscripsimus, accedunt additamenta, scilicet ex scholiis Monacensibus[2]): κοθούροις· τοῖς καθεζομένοις καὶ φυλάττουσι τὴν τῶν μελιττῶν ἔξοδον· οὖροι γὰρ οἱ φύλακες· κόθουροι οὖν οἱ τὰς θύρας φυλάττοντες. λέγεται δ' ἐκ τούτου καὶ ἄνθρωπος ὁ μηδὲν δρᾶν δυνάμενος. Ἀριστοφάνης Σφηξίν

ἀλλὰ γὰρ κηφῆνές εἰσιν ἡμῖν ἐγκαθήμενοι
οὐκ ἔχοντες κέντρον· οἳ μένοντες ἡμῶν τοῦ φόρου
τὸν γόνον κατεσθίουσιν οὐ ταλαιπωρούμενοι.

Sed ne haec quidem pristinam copiam reficiunt: adsciscas lexica, Gudianum (p. 332, 13) et Ps. Zonarae (p. 1227), quorum de communi fonte dubitari nequit: videbis, quamvis pauca sint, nonnulla tamen inde accedere.[3])

In rebus interpretandis Vetus ille longe secus ac Proclus, cuius cognovimus mores, brevissimus fuit. Quae attulit e fontibus suis (de quibus infra dicturus sum), optimae sunt notae. Quod ita esse, paucis demonstrabo exemplis. Legimus ad v. 11 (p. 44 not. y add. quae sunt sub ἄλλως): ἀνωστέον (leg. ἀναγνωστέον) ἔστω σοι καὶ τὸ 'οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην'. διὰ τί εἶπεν οὐκ ἄρα μοῦνον, πρὶν εἴπῃ τίνος. εἶπε τὸ οὐχί πως ναί; εἶπε γὰρ ἐν τῇ Θεογονίᾳ, ὅτι ἓν γένος ἐστὶ τῆς φιλονεικίας καὶ ὧδε ἔμελλεν εἰπεῖν, ὅτι δύο εἰσί· καὶ εἶπε τὸ οὐχὶ τάχα, ὅτι ἐψεύσατο ἐν τῷ εἰπεῖν, ὅτι ἓν γένος ὑπάρχει φιλο-

1) An Ἀριστοφάνην? Cf. scholia Monacensia.
2) Usener. Rhein. Mus. XXII p. 593.
3) κοθούροις = κονθούροις, κουντούροις; κοθούροις = κλέπταις.

νεικίας. Huius et accuratae et brevissimae vocabuli *ἄρα* explicationis nec vola nec vestigium apud Proclum. Porro ad v. 130 (p. 123): *κατὰ σύγκρισιν, ἐπεὶ οὐ τῶν ρ' ἐλλάττους ἔζων. τὸ δὲ ἑκατὸν οὐκ ἐπὶ ὡρισμένου χρόνου, ἀλλ' ἐπὶ πλήθους· ἔστι γὰρ ἀόριστον ἀντὶ τοῦ πολλά.* A Proclo haec absunt: hunc potius veri est simile cum nonnullis nostratium proprio sensu *ἑκατὸν* accepisse: aliter enim fieri non potuit, ut ei videretur v. 133 cum v. 130 pugnare; cf. eius verba ad v. 133 (p. 124): *εἰ πολλῷ χρόνῳ ἐτρέφοντο, ὀλίγον δὲ διέζων καὶ ἤκμαζον, πῶς οἱ τρέφοντες αὐτοὺς διέζων; ἴσως οὖν πρὸς ἀπολογίαν τῆς ἐκτροφῆς.* Quae sequuntur, procul dubio eius non sunt, sed Veteris illius, id quod vel ipsa verba indicant: *τὸ δὲ παυρίδιον ζώεσκον*[1]), *ὡς πρὸς σύγκρισιν τῶν ἑκατὸν ἐτῶν.* Nisi forte dicas subesse adnotationem acutioris cuiusdam librarii ad Procli scholium ex Veteris doctrina adscriptam.

Denique hoc quoque intercedit inter Proclum et anonymum illum, ut simplicis periphraseos, qua Proclus nunquam utebatur, apud hunc plura sunt exempla et quidem sub finem maxime carminis. Conferas ad v. 678 (p. 373): *οὗτος μὲν ὁ πλοῦς ἄριστος καὶ ἀβλαβής, ὃν ἄνω εἴρηκεν. ἄλλον δέ σοι λέγω δεύτερον πλοῦν, οὐ χρηστὸν μέν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀπληστίαν τῶν ἀνθρώπων, ὅτε γένηται τὸ φῦλλον τῆς συκῆς ὅσον ἐπιβᾶσα ἡ κορώνη ἐν τῇ γῇ ποιεῖ τύπον τοῦ ποδός, τὸ μέγεθος τοῦ φύλλου ὅτε ᾖ τοσοῦτον, πλεῦσον. ἔχει δὲ ἐμφερὲς ἡ κορώνη τὸ τοῦ ποδὸς εἶδος τοῖς φύλλοις τῆς συκῆς. κράδας δὲ λέγουσι τοὺς νέους συκίνους βλαστούς, ἀπὸ τοῦ εὐκραδάντους ὑπάρχειν.* Et sunt huius generis alia, non pauca ea illo, quem diximus, loco.

Satis iam intellexisti discrimen, quod posuimus, esse idem, quod disiungit a philosophia grammaticam. Statim efficitur, id quod gravissimum est, fontes quoque utrique interpreti fuisse diversos.

Ceterum videtur certis quibusdam argumentis affirmari posse anonymum interpretem Christianae fidei addictum fuisse, quod quantopere a Proclo abhorreat, non est, quod moneam. Ita enim ille ad v. 169 (p. 142): *μακάρων νήσους νῦν τὸν Παράδεισον αἰνίττεται, ἤτοι τὸ παρ' αὐτοῖς Ἠλύσιον*

---

1) *τὸ δὲ* potius est delendum et *παυρίδιον ζώεσκον* lemma habendum.

πεδίον λεγόμενον παρὰ τὸ ἄλυτα τηρεῖν τὰ σώματα ἢ παρὰ τὴν λύσιν τῶν κακῶν. Cf. praeterea ad v. 16 (p. 49 not. q): *ἀθανάτων βουλῇσι· πάντων αἰτίους Ἑλληνικῷ φρονήματι τοὺς θεοὺς εἶναί φησιν· ἡμεῖς δὲ οὐχ οὕτως· ἀλλ' εἶναι μὲν τὸν θεὸν ἀγαθῶν πάντων αἴτιον, τὰ φαῦλα δὲ ὕστερον παρελθεῖν.* Contra ad eundem locum (p. 49) Proclus: *ὑπ' ἀνάγκης δὲ τιμᾶσθαι* (sc. *κακὴν ἔριν*) *παρὰ τῶν ἀνθρώπων, διὰ τὴν ἄλογον ζωήν, ἣν ἔσχον εἰς σῶμα πεσούσης τῆς ψυχῆς. καὶ τοῦτο κατὰ βούλησιν εἶναι τῶν θεῶν, τὸ τῇ ἀνάγκῃ τοιαύτῃ συσχεθῆνα κτλ.* Nonne mirum est, quod haec unquam eiusdem potuerunt interpretis haberi?

3.

„Veteris" quoque scholia esse excerpta, id cum vel ex eis, quae iam attuli, subinde pateat, accuratius nunc demonstrabo. Ac primum quidem Tzetzam videamus huius interpretis copias expilantem, id quod fecit interdum Procli nomine perperam addito. Ad v. 453 (p. 285), quae sub *ἄλλως* exstant brevissima, haec ad verbum fere exscripsit Tzetza: *εὔκολον γὰρ λόγιον τῷ μὴ ἔχοντι γεωργῷ βόας αἰτεῖσθαι παρ' ἑτέρου. ῥᾳδιώτερον δὲ κἀκεῖνό ἐστιν ἀπαρνήσασθαι καὶ εἰπεῖν ὅτι πάρεισιν ἔργα τοῖς ἐμοῖς βουσίν. αἰτῶ καὶ αἰτοῦμαι διαφέρει.* Et paulo supra: *τότε δὴ χόρταζε. τὸ ἀπαρέμφατον ἀντὶ προστακτικοῦ Ἀττικῶς. ἕλικας βόας· ἑλικοειδῶς καὶ ἡμικυκλοειδῶς τοὺς πόδας εἰλοῦντας καὶ συστρέφοντας. τὸ δὲ ἕλιξ Ἀττικοὶ δασύνουσιν, οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ψιλοῦσιν· οἱ γὰρ Ἀττικοὶ δασυνταί εἰσιν, ἀμφελίσσειν καὶ ἀμφέχειν καὶ καθείργειν λέγοντες, καὶ αὖθις καὶ λίσφοι καὶ τὰ ὅμοια, ὡς καὶ τὸ ἅμαξα. ἡ δὲ κοινὴ διάλεκτος καὶ τὸ ἄμαξα ψιλοῖ, καθὼς Δωρὶς καὶ Αἰωλὶς καὶ Ἰωνίς.* Ubi dicit de discrimine, quod est inter *αἰτῶ* et *αἰτοῦμαι*, praeter morem Tzetza brevissimus fuit: aut ipse, quae erant apud veterem grammaticum, qui ipsius Tzetzae testimonio in talibus multus fuit, decurtavit aut, id quod potius crediderim, iam in scholiorum sylloge, qua Tzetza usus est, reliqua fuerunt omissa. Paullo diversa est ratio eorum, quae sunt ad v. 778 (p. 426). In ipsis excerptis nunc de voce *ἀερσιπότης* non leguntur nisi haec (l. 2): *ἀερσιπότητος δέ· τῆς ἐν ἀερὶ πετομένης.* Tzetza autem, sine dubio ex eodem fonte hauriens haec

exhibet (l. 11): *ἀερσιπότητος· ὁ ἐν τῷ ἀερὶ πετόμενος. παρεσχηματίσθη δὲ ἡ εὐθεῖα αὕτη ἀπὸ γενικῆς· ἀερσιπότης μὲν γὰρ κλίνεται ἀερσιπότου ἀλλὰ καὶ τοῦ ἀερσιπότητος· ἀπὸ τῆς ἀερσιπότητος οὖν γενικῆς οὗτος τὴν εὐθεῖαν ταύτην παρεσχημάτισεν.*

Sed sunt etiam et quidem plurima exempla, quibus ostendatur Tzetzam veterem grammaticum exscripsisse vel illis locis, ubi nunc eius nec vola neque vestigium apparet. Legas quae sunt ad v. 192 Tzetziana (p. 150): *αἰδὼς καὶ αἰσχύνη κατὰ Ἀριστόξενον τὸν Μουσικὸν διαφέρουσιν· καὶ ἵνα τὰ πολλὰ τούτου παρεάσω, αἰδὼς μὲν ἡ μικρὰ καὶ ἐπὶ τοῖς τυχοῦσι γινομένη ὑποστολή, εὐλαβεῖ λογισμῷ· αἰσχύνη δὲ ἡ ἐν κακοῖς ἀτιμία.* Dubitationem movet, sintne haec Tzetzae propria, licet solus ea habeat, Aristoxenus laudatus. Insuper per suum illud *πολλά* ipse quasi digito monstrat copiosum quendam commentarium (ex quo illa repetit idem ad v. 319 p. 212 sq.). Et conservavit fortuna vel invito Tzetza omnia illa *πολλά*, quae missa fecerat ille, per Etymologica, ex quibus Gudianum quod vocatur apponam (p. 16) cum variis lectionibus codicis Sorbonensis (cf. Gaisf. edit. p. 150 not. t): *αἰδὼς καὶ αἰσχύνη διαφέρουσιν·* (-*ρει* Sorb.) *αἰδὼς μὲν* (*γάρ ἐστιν* add. Sorb.) *ἐντροπὴ πρὸς ἕκαστον σεβασμίως ἔχειν* (Sorb.: *ὅν τις σεβασμίως ἔχει*)· *αἰσχύνεται δέ* (Sorb.: *αἰσχύνη δέ*), *ἐφ' οἷς ἕκαστος ἁμαρτάνων αἰσχύνεται, ὡς μηδέ τι* (Sorb.: *μὴ δέοντα*) *πράξας. καὶ αἰδεῖται μέν τις τὸν πατέρα, αἰσχύνεται δέ τις μεθυσκόμενος* (Sorb.: *μεθύσκεσθαι*). *διαστέλλων* (-*λλει* Sorb.) *δὲ τοῦτο Ἀριστόξενος ὁ μουσικός φησι γοῦν διαφορὰν τήνδε νομιστέον αἰδοῦς τε καὶ αἰσχύνης· ὅτι ἡ μὲν αἰδὼς πρὸς ἡλικίαν, πρὸς ἀρετήν, πρὸς ἐμπορίαν* (*ἐμπειρίαν* Sorb.), *πρὸς εὐδοξίαν· ὁ γὰρ ἐπιστάμενος αἰδεῖσθαι πρὸς ἕκαστον* (-*στην* Sorb.) *τῶν εἰρημένων ὑπεροχῶν προσέρχεται οὕτω διακείμενος, οὐ δύναται* (Sorb.: *οὐ διὰ τὸ*) *ἡμαρτηκέναι τι, ἀλλὰ σέβεσθαι καὶ τιμᾶν τὰς προειρημένας ὑπεροχάς. ἡ δὲ αἰσχύνη πρῶτον μὲν πρὸς πάντα ἄνθρωπον· ἔπειτα δὲ* (*ἐπὶ* Sorb.) *τοῖς νομιζομένοις αἰσχροῖς· εἰς τὸ ἀναιδής· καὶ εἰς τὸ φόβος* (haec postrema desunt in Sorb.). Tzetzae et auctoris Etymologici quin idem fuerit fons, nemo dubitabit: vetera scholia Hesiodea fuisse hunc fontem praeter summam verborum conspirantiam fidem facit, quod aliunde constat auctorem Etymologici persaepe ex hoc fonte hausisse. Ipse infra plura

allaturus sum testimonia. Ut autem intellegas, quanto uberior quam sunt nostra fuerit ille, qui nunc obrutus fere est fons vetustae doctrinae, conferas, quae sunt adscripta ad v. 707 (p. 383) sub *ἄλλως* cum eis, quae exstant (ipso nomine 'scholii' apposito) in Etymologico Gudiano (p. 302, 5; lectiones varias addam Etym., quod genuinum *Μέγα* vocavit Reitzensteinius, qui me per litteras benevole de his et aliis quibusdam rebus docuit): *κασίγνητος· καὶ αὐτοκασίγνητος. ποίου σχήματος; συνθέτου. σύνθετον δέ ἐστι τὸ ἐκ δύο ἢ καὶ πλειόνων λέξεων συγκείμενον. τοῦ γὰρ παρασυνθέτου κατὰ τὸ τέλος γίνεται κίνησις. οἷον Φίλιππος φιλιππίζω· τὸ δὲ κατ' ἀρχὴν γινόμενον μένει ὡσαύτως σύνθετον. γίνεται δὲ τὸ κασίγνητος ἐκ τοῦ κάσου ὁ σημαίνει τὸν ἀδελφὸν καὶ τοῦ γνητὸς, τοῦτο ἐκ τοῦ γέννα κασίγνητος* (Hucusque, quae protuli, desunt in cod. A = Vat. gr. 1818). *Ἡσίοδος* (laudantur versus 707—716) *σχέδον* (lege: *σχόλιον*) *τοῦ ἀδελφοῦ μου* (*σου* A) *μὴ προτίμα τὸν φίλον σου. ἐὰν δὲ καὶ ποιήσῃς* (*ποιῇ* A) *φίλον, μὴ σὺ πρῶτον αὐτὸν ἀτιμάσῃς μηδὲ καταψεύσῃς* (*καταψεύσῃ* A) *αὐτόν. ἐὰν δὲ αὐτὸς ἀρχὴν ποιήσῃ τοῦ ἀτιμάσαι σε, διπλάσιον* (*διπλασίασον* A) *αὐτῷ* (*τὸ* add. A) *κακὸν* (*καὶ* add. A) *ἀπόδος μεμνημένος ὧν εἰς σὲ διεπράξατο. ἐὰν δὲ πάλιν βουληθῇ διαλλαγῆναι καὶ φιλιωθῆναί σοι, καὶ προσπέσῃ σοι, δέξαι αὐτόν. ἄθλιος γὰρ ἐκεῖνος, ὅστις ἀπὸ τούτου εἰς τοῦτον μεταβαίνει φίλον. σὺ δὲ ὑπερέχων* (*εἴπερ ἔχεις* A) *καλὴν ἰδέαν μὴ ἔσο μωρός, ἵνα* (*ἢ* A) *μὴ ἡ μωρία σου ἀτιμάσῃ τὴν ἰδέαν σου. μηδὲ πολύξεινον, εὐκαταφρόνητον γὰρ τοὺς πολλοὺς ξενίζειν, τὸ δὲ ἄξεινον φιλιῶδες* (*θηριῶδες* A) *μηδὲ κακοὺς εἴπῃς* (*εἴποις* A) *τοὺς ἀγαθούς· εἴρηται κασίγνητος παρὰ τὸ κάσις ὁ ἀδελφὸς καὶ τὸ γνῆς γνητός, ὃ σημαίνει τὸ γνήσιον· καὶ ὀγνῆται οἱ ῥόδιοι* (Ultima, inde ab *εἴρηται*, sola habet cod. B = Florent. s. Marci 304). Atque illius quoque Etymologici, quod vulgo appellatur Magnum, auctor plura debet ei, de quo nunc agimus grammatico. Quod demonstratur non solum inde, quod vocabula quaedam tractanda ita proponit, ut leguntur apud Hesiodum, sed etiam, quod in explicatione saepius a d v e r b u m congruit cum Veteris illius commentario. Conferas luculentissimum exemplum ad v. 493 (p. 303 cum nota) propositam explicationem veteris grammatici, quam eisdem

verbis exaratam legimus in codice Vossiano Etymologici Magni (p. 58, 23 cum nota). Porro ad v. 740 (p. 401) legimus in Etymologico Magno (p. 127, 39): *ἀπὸ πεντόζοιο· Ἡσίοδος* (laudantur duo versus)· *πεντάκλαδος ἡ χείρ· μὴ ὀνυχίσῃς, φησίν, ἐν ἑορτῇ ξηρὸν ὄνυχα. χλωρὸν δὲ τὸ ζωτικὸν αἷμα. ἀσεβὲς γὰρ ὀνυχίζεσθαι ἐν ἑορτῇ θεῶν.* Sunt eadem in scholiis et eisdem verbis expressa. Neque desunt exempla, ubi in alio fonte plura exhibentur, de quibus cum infra sit dicendum; nunc proponam unum exemplum ex Etymologico, quod dicitur *μέγα*. Ad v. 28 (p. 556) duo sunt scholia veteris grammatici: prius exscripsit ad verbum auctor Etymologici Magni (p. 484, 46), alterum quod est plenius servatur in Etym., quod dicitur *μέγα*, et quidem ita: *κακόχαρτος· ἀμφίβολον* (*ἀμφιβολία* B) *ἤτοι γὰρ ἡ* (om. A) *ἐπὶ κακοῖς χαίρουσα ἢ ἐφ' ᾗ οἱ κακοὶ χαίρουσιν, ὥς φησιν* (om. A) *Ἡσίοδος ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις· ὦ Πέρση σὺ δὲ ταῦτα τεῷ συγκάτθεο θυμῷ* (ab *ἐν ἔργ.* — *θυμῷ* om. B) *μηδέ σ' ἔρις κακόχαρτος ἀπ' ἔργου θυμὸν* (quae sequuntur, inveniuntur tantum in A) *εὐρακοινείκη ὀπιπεύων ἀγορῆς ἐπακουὸν ἐόντα. ἡ κακὴ φιλονεικία μή σε κωλύσῃ ἐπ' ἔργου εἰς τὸ περιβλέπεσθαι φιλονεικίας καὶ ἀκροάσεις ῥημάτων. καί φησιν πλοῦτον ἐν τῷ οἴκῳ αὐτὸν ὀφείλει ποτὲ μὲν ἐργάζεσθαι ποτὲ δ' ἀκροᾶσθαι κάμνε φησὶ καὶ τὸ φιλονεικεῖν. τοῦτο εἰπεῖν ἵνα κατὰ μέρος αὐτοῦ ἐπάρῃ τὸ φιλονεικεῖν ἐπὶ τοῦ ἐργάζεσθαι.* Eiusdem generis sunt alia plurima.

Ps.-Zonaram quoque in conscribendo suo lexico hoc fonte usum esse ostendunt cum vocabula per ipsam chresim, ut aiunt, Hesiodeam apposita, tum quod non paucis locis prorsus concinit cum eis, quae aetatem tulerunt, scholiis. Conferas ad v. 106 scholium veteris grammatici (p. 106) cum his verbis Ps.-Zonarae (p. 670 Tittm.): *ἐκκορυφώσω· δύναται μὲν ἀκούεσθαι ἀνακεφαλαιώσομαι οἷον κορυφὴν ἐπιθήσω· δύναται δὲ καὶ οὕτως ἕτερόν σοι λόγον ἐκκορυφώσω ἤτοι ἀπάρξομαι. ἐπεὶ ἡ κορυφὴ ἀρχή τίς ἐστι τοῦ σώματος.* Eadem sunt atque in scholiis, eisdem verbis expressa, praeter Ps.-Zonaram etiam ab auctore Etymologici Magni exscripta.

Ut autem uno saltem exemplo ostendam, et quem ad modum saepissime decurtata sint veteris interpretis dicta in eis, quae circumferuntur, scholiis, et quo iure Tzetza hunc

suum Proclum longissimum dixerit, quaque ratione nobis liceat e variis fontibus restituere opus illius, legamus quod ad v. 85 exstat scholium (p. 98 sq.): *Ἀργεϊφόντης δὲ ἤτοι ὁ ἐν Ἀργῷ φωνῶν· εἰρηνικὸς γὰρ ὁ θεὸς καὶ ἀψευδής· οἱ δὲ νεώτεροι, ὅτι Ἄργον ἐφόνευσε, τὸν πανόπτην· Νέσσος δὲ ὁ Χῖος ἀπὸ τοῦ διάγειν τὰς τῶν τελευτώντων ψυχάς.* Haec tam mutila atque hiantia satis non fuisse veteri interpreti patet ex ipsis quae legimus verbis. Non potuit recentiorum proferre per *δέ* sententiam, nisi vetustiorum erat opposita. Priora tamen illa horum fuisse ne verbo quidem indicavit: pugnant ista inter se, neque sententia Nessi ad explicandam vocem *Ἀργειφόντης* pertinet. Itaque nullus ego dubito, quin hic excerpta et ea miserrime truncata legamus. Vel Tzetza plura legebat, cum habeat haec (p. 90): *ἀλλὰ μηδὲ τοῦτο ἐάσωμεν, ὅθεν ὁ Ἑρμῆς διάκτορος καὶ Ἀργειφόντης λέγεται, τὰ γὰρ τῶν ἑτέρων Ἑρμῶν οὐ φροντὶς ἡμῖν λέγειν. ὁ μὲν μυθικὸς Ἑρμῆς διάκτορος λέγεται ἐκ τοῦ διακτορεῖν καὶ ἀγγέλλειν τὰ τῶν θεῶν· καὶ Ἀργειφόντης, ὅτι Ἄργον ἀνεῖλε τὸν πανόπτην, ὃν ἡ Ἥρα φύλακα τῆς Ἰοῦς ἐπέστησε τῆς Ἰνάχου παιδός. ὁ δὲ προφορικὸς λόγος Ἑρμῆς λέγεται παρὰ τὸ ἑρμηνευτικὸς εἶναι καὶ διάκτορος, ὅτι ἐξηγεῖται καὶ διαγγέλλει τὰ τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ νοῦ ἐνθυμήματα. Ἀργειφόντης δὲ ὡς ἀργὸς καὶ καθαρὸς φόνου* (lege: *φόνων*)*· παιδεύει γὰρ καὶ ῥυθμίζει καὶ πραΰνει τὸ θυμικὸν τῆς ψυχῆς· ἢ ὅτι τὸν Ἄργον κύνα ἀναιρεῖ, τουτέστι τὰ λυσσώδη καὶ ἄτακτα ἐνθυμήματα.* Procul dubio Tzetza veteris grammatici scholiis immiscuit philosophica quaedam, quae apud Proclum nimirum invenerat (ipsius autem Procli verba prorsus nunc sunt intercepta), sed vel inter haec agnosces plura, quae sunt illius interpretis. Sed vel plura lucramur ex testimonio Gudiani Etymologici (p. 71, 40): *Ἀργειφόντης· παρὰ τὸ ἐναργεῖν τὰς φαντασίας ποιεῖν· οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήσει τοῦ Ἡσιόδου. οἱ δὲ διὰ τοῦ ῑ γράφοντές φασι παρὰ τὸ ἄρι τὸ ἐπιτατικὸν μόριον, ὡς ἀρίζηλος ἀρίδηλος ἀριφόντης ὁ μεγάλα φανταζόμενος διὰ τοὺς ὀνείρους, καὶ πλεονασμῷ τοῦ γ̄· ἢ παρὰ τὸ ἀργὸν τὸ λευκὸν ἀργοφόντης τις ὤν, καὶ τροπῇ τοῦ ō εἰς ῑ ἀργιφόντης. ὡς ἀργίποδες κύνες. δῆλον δὲ ὡς εἴρηται τὸ ἀργὸν καὶ ἐπὶ τοῦ ταχέως καὶ ἐπὶ τοῦ λευκοῦ· νῦν οὖν ἐπὶ τοῦ λευκοῦ κεῖται, ἵν' ᾖ ἐπὶ τοῦ ἐναργεῖς τουτέστι*

προδήλους τὰς φαντασίας ἐπιπέμπειν. ἢ ὁ ἀργὸς φόνου, εἰρηνικὸς γὰρ ὁ θεός, ὅπερ Ὅμηρός φησιν. διὰ τῆς Ἴριδος γίνεται διαγγελία ἐν τοῖς πολέμοις καὶ οὐχὶ διὰ τοῦ Ἑρμοῦ. Paulo post (p. 72, 52; 73, 26) idem auctor exhibet alia, quae eandem originem ostendunt. In nonnullis autem haec ipsa pleniora rursus exhibentur in Etymologico Parisino (apud Gaisf. p. 99 not. n), ubi adduntur, quae adhuc desideravimus, auctorum nomina, hunc in modum: Ἀργειφόντης· ὁ Ἑρμῆς παρ' Ὁμήρῳ καὶ παρὰ πολλοῖς· παρὰ δὲ Σοφοκλεῖ καὶ ἐπὶ τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ παρὰ Παρθενίῳ καὶ ἐπὶ τοῦ Τηλέφου· ἢ παρὰ τὸ Ἄργον τὸν πολυόμματον κύνα πεφονεῦσθαι ὑπ' αὐτοῦ, τὸν Ἰοῦς φύλακα· ἢ παρὰ τὸ ἀργὸς ὁ ταχὺς ἄγγελος· ἢ ὁ ἐναργεῖς τὰς φαντασίας ἀποτελῶν, ὀνειρόπομπος γάρ. ἢ ὅτι καταργεῖ τοὺς φόνους· εἰρηνικὸς γὰρ ὁ θεός· ἢ ὁ ἐν Ἄργει πρῶτον πεφηνώς. ἢ ὅτι ὄφιν τὸν Πυθῶνα ἀνεῖλεν· κατὰ γὰρ τὴν Ἀργείων γλῶτταν ὁ ὄφις ἀργὴν καλεῖται, ἵν' ᾖ ὁ ὀφιοκτόνος, καὶ εἶδος θηρίου οὕτω καλεῖται ἄργη καὶ οἱ Κένταυροι οὕτως ὑπό τινων προσηγορεύθησαν. Ἀργειφόντῃ ἀργῷ καὶ καθαρῷ φόνου. Ἀργειφόντης, παρὰ τὸ ἐναργεῖς τὰς φαντασίας ποιεῖν, ὥς φησιν Ἀλεξίων καὶ Ἀρχίας καὶ Ἀρίσταρχος· ἢ ἀρηφόντης (lege: ἀριφόντης) ὁ μεγάλως φανταζόμενος τοῖς ὀνείροις, ὡς Δίδυμος καὶ Τρύφων· ἢ παρὰ τὸ ἀργὸν συγκείμενον τὸ λευκόν, ἀργοφόντης τις ὤν· ἢ ὁ ἀργὸς φόνου καὶ εἰρηνικός· ἢ ὁ φονεύσας Ἄργον τὸν πολυόμματον κύνα. Ceterum apud hunc grammaticum non est recte conservata Didymi sententia, quam emendatiorem legimus in Etymologico Magno, cuius auctorem ex eodem fonte omnia sua hausisse vel primo aspectu nobis persuasum erit (p. 136, 48): Ἀργειφόντης· ἐπίθετον Ἑρμοῦ· ἢ ὅτι ἀργός ἐστι φόνου τουτέστι καθαρός· ὁ αὐτὸς γάρ ἐστι τῷ λόγῳ. ἢ ὁ ἐν Ἄργει πρῶτον πεφηνώς, ὁ γὰρ Ἑρμῆς πρῶτον ἐν τῷ Ἄργει ἐφάνη. ἢ ὁ ἐναργεῖς τὰς φαντασίας ποιῶν; ἐπάνω γάρ, ὥς φασι, τῶν ὀνείρων ἐστὶν ὁ Ἑρμῆς. ἢ ἐπειδὴ τὸν Ἄργον ἐφόνευσε λίθῳ βαλών, κελευσθεὶς παρὰ τοῦ Διὸς κλέψαι τὴν Ἰὼ βοῦν γενομένην, ἐφύλασσε δ' αὐτὴν ὁ Ἄργος βουλήσει Ἥρας, ἔχων ἐν ὅλῳ τῷ σώματι αὐτοῦ ὀφθαλμούς. ὥσπερ δὲ ἀπὸ τοῦ ἀλοτρίβανον γίνεται ἀλετρίβανον τροπῇ τοῦ ο̅ εἰς ε̅, οὕτω καὶ ἀπὸ τοῦ ἀργοφόντης γίνεται ἀργεφόντης καὶ πλεονασμῷ τοῦ ι̅ ἀργειφόντης. Δίδυμος δὲ

διὰ τοῦ ῑ γράφει· λέγει γάρ, ὥσπερ ἀπὸ τοῦ ἄρι ἐπιτατικοῦ γίνεται ἀριδείκετος, οὕτω τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἀπὸ τοῦ ἀρι γίνεται ἀριφόντης καὶ πλεονασμῷ τοῦ γ ἀργιφόντης. (addit codex Vossianus:) *ὁμοίως καὶ τὸ ἀνδροφόντης ἀνδρεφόντης καὶ ἀνδρειφόντης· ἢ ἐκ τοῦ ἀνδρεῖος ἀνδρειφόντης. ζήτει.* Ad haec accedunt omnia illa, quae Eustathius[1]) exhibet, quaeque cum ex parte eadem sint fontem eundem fuisse demonstrant, ex parte vero pleniorem veteris grammatici interpretationem conservaverunt. Quae sententia eo magis probabilis videtur, quo certius constat ex Homericis scholiis eum nihil fere de ea quaestione, quae est proposita, haurire potuisse. Habet autem ille (ad Od. p. 1522, 51): *ἀλληγορικῶς μέντοι, λάρῳ εἴκασται ὁ Ἑρμῆς, διά τε τὸ λευκὸν καὶ ὡς εἰπεῖν ἐναργὲς, ἀφ' οὗ καὶ Ἀργειφόντης καλεῖται, ὡς λόγος, ἐναργῶς φαίνων τὰ κατὰ ψυχὴν καὶ διότι δὲ ὁ λάρος παρηχεῖταί πως τῷ λαρῷ τουτέστι τῷ*

---

1) Eustathium saepe usum esse scholiis Hesiodeis et supra ostendi et plura exempla erunt paulo post colligenda. Hoc loco unum illud addam, quod Usenerus quoque usurpavit (Rhein. Mus. XXII p. 594). Ad v. 375 legitur in Hesiodeis scholiis (p. 237): *σημαίνειν δὲ τοὺς φηλήτας τοὺς ἀφαιρεῖσθαί τι καὶ ἐκφορεῖν ἐθέλοντας, παρὰ τὸ ἀφαιρεῖν καὶ ὑφελεῖν τοῦ ὀνόματος αὐτοῖς τιθέντος.* Hoc scholium coniunctum est cum his verbis petitis e Procli scholio: *τοῦτον Πλούταρχος χαράττει τὸν στίχον*: immerito. Miror Usenerum id fugisse. Proclum ipsum hoc loco causam atheteseos apposuisse dicas et fortasse etiam suam versus interpretationem, neutram tamen in illis verbis inesse nemo non videt. Sunt ista potius ex more veteris grammatici. Et patet e Tzetzianis illud scholium esse excerptum e pleniore commentario. Habet enim (p. 237): *φιλήτησι· κλέπταις, ὑφαιρουμένοις τὰ ἀλλότρια καὶ πᾶσι κακοῖς· παρὰ τὸ φιλεῖν τὰς ἄτας καὶ διὰ τοῦ ῑ· ἢ παρὰ τὸ φηλεῖν τὸ ἀπατᾶν διὰ τοῦ η̄.* Ipsum haec ostendunt fontem i. e. vetera scholia, sed uberiora quam nunc leguntur. Moschopulea de eadem re sunt haec (p. 594 apud Usenerum) *φιλήτησι· κλέπταις· Ἀρχίλοχος 'φιλήτῃ νύκτωρ περὶ πόλιν πολευμένῳ' ἤγουν κλέπτῃ νυκτιλόχῳ· παρὰ τὸ ὑφελεῖν ὑφειλήτης καὶ ἀφαιρέσει τοῦ ῡ καὶ ἀπελεύσει τοῦ ε̄ τῆς διφθόγγου.* Quae ad verbum ex eodem fonte iam habet Eustathius (ad Odyss. p. 1889, 1): *φιλήτου δὲ τοῦ εἰρημένου χρῆσις μὲν παρά τε Ἡσιόδῳ καὶ παρὰ Ἀρχιλόχῳ ἐν τῷ 'φιλήτᾳ* (?) *νύκτωρ περὶ πόλιν πολευμένῳ' ἤγουν κλέπτῃ νυκτιλόχῳ. ἐτυμολογία δὲ παρὰ τὸ ὑφελεῖν, ὅπερ ἐστὶ κλέψαι ὡς ἂν ᾖ ὑφειλήτης καὶ ἀφαιρέσει φειλήτης καὶ ἀπελεύσει τοῦ ε̄ τῆς ε̄ῑ διφθόγγου δι' αἰτίαν τὴν ἑτέρωθι δηλωθεῖσαν, φιλήτης.* Neque hoc uno loco aliena doctrina pro sua usus est Eustathius.

γλυκεῖ, ὡς καὶ ἐν Ἰλιάδι ἔκκειται. etiam in commentariis ad Iliadem, quo ipse nos relegat (ad Il. p. 182, 21. 183, 1), copiosius explicat vocem Ἀργειφόντης: τὸν δ' αὐτὸν καὶ Ἀργειφόντην ἐπονομάζει ὡς ἀργὸν φόνου· εἰρηνικὸν γὰρ ὁ λόγος. ὁ δὲ μῦθος Ἀργειφόντην τὸν φονέα τοῦ Ἄργου καλεῖ (ipsam fabulam nunc mitto). κἀντεῦθεν Ἀργειφόντης λέγεται, οἷον Ἀργοφόντης καὶ τροπῇ τοῦ ō εἰς ε̄ καὶ πλεονασμῷ διχρόνου Ἀργειφόντης, ὥσπερ καὶ ἀνδροφόντης ἀνδρεφόντης καὶ κατὰ πλεονασμὸν ἀνδρειφόντης. καίτοι τὸ ἀνδρειφόντης τινὲς ὡς ἀπὸ τῆς ἀνδρὶ δοτικῆς διὰ τοῦ ῑ γράψαντες διφορεῖσθαι τὴν λέξιν πεποιήκασιν· τὸ μέντοι Ἀργειφόντης ἀεὶ τὴν διὰ διφθόγγου ἔχει γραφήν. ἰστέον δὲ, ὅτι τὸ Ἀργεφόντης καθὰ καὶ τὸ ἀνδρεφόντης, ἐξ ὧν Ἀργειφόντης καὶ ἀνδρειφόντης, Δωρικά εἰσιν, ὡς Ἡρῳδιανὸς δηλοῖ, ἐν οἷς λέγει τοιαῦτα· αἱ εἰς ōς ὀξύτονοι γενικαὶ συντιθέμεναι συμφώνου ἐπιφερομένου ἢ διὰ τὸ ō λέγονται, οἷον Ζηνὸς Ζηνόθεος, θριπὸς θριπόβροτος, ἁλὸς ἁλοθήκη· ἢ διὰ τοῦ ῑ οἷον Αἰγίπαν, πυρίχαλκος, νυκτικόραξ. οὕτως οὖν, φησί, καὶ ἀλοτρίβανος ὡς ἀλοπώλης καὶ ἁλοθήκη. ὁ μέντοι διὰ τοῦ ε̄ ἀλετρίβανος μήποτε Δώριόν ἐστι· οἱ γὰρ τὸν Ἀπόλλωνα Ἀπέλλωνα εἰπόντες καὶ τὸν ἀνδροφόνον ἀνδρεφόνον οὗτοι καὶ τὸν ἀλοτρίβανον ἀλετρίβανον εἴποιεν ἄν. ἔτι ἰστέον καὶ ὡς ἐν τῷ Παυσανίου λεξικῷ φέρεται ἀργειφόντης ὁ ὀφιοκτόνος· ἀργὴν γάρ, φησί, ἔνιοι τὸν ὄφιν καλοῦσιν. οὐ μέντοι ἱστορεῖ καὶ πῶς ὀφιοκτόνος ὁ Ἑρμῆς. Cur haec ita dixerit, cum aliis explicatio huius quoque epitheti praesto fuisset, paulo post demonstrabitur. Ut autem eorum, quae proposui, summam faciam, id quam maxime tenendum est, etiamsi permulta invenimus et quidem nonnulla, quibus emendatur et augetur Hesiodeum illud, unde profecti sumus, scholium, in nullo tamen ex hoc tanto testium numero nos repperisse, unde quid sibi velit illud οἱ δὲ νεώτεροι appareat. Quod autem exspectas sententiam hic subesse recentiorum grammaticorum, oppositis opinionibus veterum, satis superque cognovimus recentiorum illam sententiam omnino non pugnare cum eis, quae antiquiores grammaticos nunc constat hac de re docuisse. Sequitur, ut hoc quoque loco, ut saepissime[1]),

1) Si augendum non erit scholium, sed tantum quod nunc exstat

corruptela insit, quae tamen corruptela non tollitur leni coniectura. Qui autem sensus fuerit, discimus e scholiis ad Homeri Iliadem, quorum auctoribus eosdem fere fontes fuisse atque huic nostro interpreti infra demonstrabitur. Ad B 103 leguntur illic: *τὸν δὲ Ἰοῦς ἔρωτα οὐκ οἶδεν ὁ ποιητής, πέπλασται δὲ τοῖς νεωτέροις τὰ περὶ Ἄργον.* Recentiores igitur poetae illo loco appellabantur, non grammatici.

4.

Quod praeter ipsa scholia tam ampla est apud alios veteris illius doctrinae memoria, nullo modo inde debemus concludere quemquam ex eorum numero, quos advocavimus, integrum aut Procli aut veteris interpretis commentarium

---

emendandum, scribendum est in primis verbis: *Ἀργειφόντης δὲ ἤτοι ὁ ἀργὸς φόνου, εἰρηνικὸς γὰρ κτλ.* Simile quid commendabat iam Hemsterhusius ad Lucianum I p. 489. Heinsii coniectura (tradita in scholiorum edit. Gaisford. n. 52): *Ἀργειφόντης δὲ ἤτοι ὁ ἐναργῶς φωνῶν· ἑρμηνευτικὸς γὰρ κτλ.* stare non potest, quia huius significationis nullum vestigium reperimus vel in plenissimis fontibus. Quae similia Tzetza habere videtur, ea cum e Procli scholiis fluxisse demonstraverimus, cum his non sunt permiscenda. Etiam post *Νέσσος δὲ ὁ Χῖος* supplendum est *διάκτορον λέγει.* Et cum his conferas Eustathium ad Il. p. 182, 8 *ἔστι δὲ διάκτορος μὲν ἢ ὁ διάτορος, ὅ ἐστι σαφὴς ἐν ταῖς ἀγγελίαις· τορὸν γὰρ τὸ τρανὲς καὶ σαφές· ἢ ὁ αὐτὸ τοῦτο ἄγγελος ἀπὸ τοῦ ἄγω ἐξ οὗ καὶ ὁ ἄγγελος. ἄγγελός τε γὰρ ἀπὸ τοῦ ἄγειν φαίνεται γίνεσθαι καὶ διάκτωρ δὲ ὁμοίως ἀπὸ τοῦ ἄγω, ὥσπερ ἀπὸ τοῦ λέγω λέκτωρ καὶ ἀλέκτωρ. τὸ δὲ ἄκτωρ κλιθὲν εἰς τὴν ἄκτορος γενικὴν πεποίηκε τῇ εἰς ἀρχὴν ἀναδρομῇ εὐθεῖαν τὴν ὁ διάκτορος ἤτοι ὁ ἄγγελος.* Haec quoque ex eodem fonte fuisse non tantum vicinitas eorum, quae supra proposuimus, verum etiam ipsa ratio tractandi probat, confirmatque etiam testimonium Etymologici Gudiani, in quo leguntur (p. 143, 39): *διάκτορος· ἤτοι διάγορος διὰ τὸ λόγιον εἶναι· ἢ παρὰ τὸ ἄγω, ἄξω, ἄκτωρ, ἄγγελος γὰρ τῶν θεῶν ὁ Ἑρμῆς. διάκτορος πλεονασμῷ τοῦ κ̄· διάτορος γάρ.* In illis verbis, quae clarius exprimi iussi et quae per se nihil pertinent ad lexicon, habemus gravissimum argumentum, esse veteris interpretis haec omnia. Hoc vel magis elucebit, si illa cum his Moschopuli ad v. 68 (p. 91, 11) comparaveris: *διάκτορος, ὁ μεγαλόφωνος* (!). *πλεονάζει δ' ἐν αὐτῷ τὸ κ̄, ὥσπερ ἐν τῷ ἀλυκτοπέδῃ. τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ τοῦ διάτορον, ὁ λέγεται ἐπὶ φωνῆς ἐντόνου καὶ ἰσχυρᾶς· τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ ἄλυτος καὶ τὸ πέδη. Ἀργειφόντης δὲ κτλ.* In Etymologico Magno (p. 268, 15) sunt quaedam, quorum eadem origo quin fuerit, dubitari nequit, sed alia etiam plurima, de quibus id pro certo non ausim affirmare.

legisse. Contra affirmare licet omnes quamvis multo plenioribus, tamen excerptorum collectionibus usos esse ad similitudinem nostrorum compositis. Fortasse in his accuratius disiungebantur, quae cuiusque interpretis essent, erant quibusdam locis etiam auctoris vel auctorum nomine signata — tamen scholia erant, non commentarii. Huius rei multa sunt argumenta. Quod enim supra saepius iam demonstratum est, Tzetzam nonnumquam Procli sub nomine ea afferre, quae vel in eis, quae exstant, scholiis rectius insigniuntur, eius rei manifesta quaedam nunc apponam exempla. Ad v. 304 (p. 205) habet Tzetza: *κοθούροις· κακούργοις ἢ ἀκέντροις, ἢ κοτούροις τοῖς κότον ἔχουσιν ἐν τῇ οὐρᾷ. ἢ τοῖς κολοβὴν ἔχουσιν οὐρὰν καὶ ἀποκρύπτουσαν αὐτήν. ἢ τοῖς καθεύδουσι καὶ ἐπιτηροῦσι τὴν ὥραν, ὅταν αἱ μέλισσαι ἐξέρχωνται, ἵνα λαθόντες ἐσθίωσι τὸ μέλι. τούτῳ μὲν αὐτὸς Προκλόθεν κεχρημένος κτλ.* Haec et ab interpretandi ratione Procliana aliena sunt et praeter Tzetzam servata sub *ἄλλως*. Tum ad v. 378 (p. 239): *οἱ περὶ Πρόκλον καὶ Ἀρίσταρχον ἢ*[1]) *Πλούταρχον ἀδιανόητον τοῦτό φασι καὶ περιττόν. ἐγὼ δέ φημι λίαν καλλίστως ἔχειν αὐτό.* Ipsa athetesis, cuius iam supra mentionem fecimus, a vetere interprete tradita est (sub *ἄλλως* p. 238), nullo tamen addito auctoris nomine. Inde Tzetza cum scholium pro neglegentia sua Proclo tribuisset, quem non ignorabat saepissime Plutarchum nominare, cumque praeterea cognitum haberet Aristarchum versus quosdam obelo notavisse[2]), omnia coniunxit atque perturbavit. Qua in re id est gravissimum, eum Proclo, quae Procli non sunt, non potuisse tribuere, si legisset integros Procli commentarios. Addamus plura. Ad v. 59 (p. 82) Tzetza hunc in modum: *τὸ ἑὸν καλλίστως κεῖται λίαν, ἡ τοῦ Πρόκλου δὲ μᾶλλον διόρθωσις δακρύων δεῖται.* Quae *διόρθωσις* (cf. p. 83) veteris est interpretis eiusque signo notata legitur etiamnunc in scholiis. Ad v. 568 (p. 333 sq.) duo sunt scholia, quae cum variorum interpretum sint, pugnant inter se: Proclus cum Platone quod maestum sit animal negat canere, vetus interpres, qui philosophorum argutiis abstinet,

1) *καὶ* Usener., cf. p. 79.

2) Cf. p. 157 et p. 156 (*ἄλλως*), quo loco Tzetza eodem modo Procli legere scholia sibi visus est.

lectionem interpretatur traditam. Utriusque scholia ad verbum fere exscripta Tzetza concinnavit ita: *ὁ δὲ σοφώτατος Πρόκλος, τὸν Πλάτωνα φέρων μάρτυρα, φησὶν μηδὲν ὄρνεον λυπούμενον ᾄδειν .. πῶς δὲ σὺ ὁ μὴ δεξάμενος θρηνεῖν τὴν χελιδόνα, Πανδίονος αὐτὴν ἐδέξω θυγατέρα; κτλ.* At quae ad Pandionis filiam pertinent, inveniuntur in scholio sub *ἄλλως*. Sunt autem eiusmodi exempla innumera.

Quodsi Tzetza promiscue habebat utriusque scholia, quid factum esse a Moschopulo vel a librariis recentioris aetatis[1]) exspectabis? Sed ne auctori quidem Etymologici, maiori aetate quam Tzetza, integri praesto erant commentarii, nec Ps.-Zonarae neque Eustathio. Quod primum vel inde perspicies, quod modo Procli scholia, modo veteris grammatici exscripta invenies ab illis[2]); tum quod nunc multa, nunc pauca ex eodem singuli fonte producunt, ita ut certum sit varias excerptorum syllogas eis ad manus fuisse: denique, id quod gravissimum est, quod scholia Procli et veteris grammatici interdum coniuncta sunt in unum. Unum duove exempla apponere satis habebo. Adeas Etymologicum Magnum. Ad v. 750 (p. 408) duo sunt scholia insignita per *ἄλλως*. Eadem exhibet Etymologici Magni codex Vossianus (p. 48, 35 not.): *ἀκίνητον· σημαίνει ἐνταῦθα τὸν τάφον. Ἡσίοδος ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις* (laudantur v. 750—752). *σχόλιον· νόμος ἦν παρὰ Ῥωμαίοις τὸν τάφον μὴ κινεῖν, τουτέστι ὀρύττειν. πότε οὖν φησι μὴ*

---

1) Erravit Usenerus (Rhein. Mus. XXII p. 592), arbitratus cum in scholiis Monacensibus nonnunquam nominati essent auctores (ad v. 25 Plutarchus, ad v. 370 Proclus, etc.), recedere haec ad pristinae collectionis perpetuam quandam consuetudinem. Sed conferas, quae habeat Monacensis in scholio ad v. 41 p. 315ᵘ: *ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ· εὐτελεστάτοις βροτοῖς· ἐκ τούτων χιλὸν ἐσκεύαζον εἰς βρῶσιν· ὅπερ ἄλιμον καλοῦντες προσεφέροντο ὡς καὶ Ἐπιμενίδης.* Quae et excerpta sunt et male conflata ex duobus scholiis (p. 64 ed. Gaisf.) Procli et veteris grammatici. Potuitne hoc fieri, si ubique nomina erant adscripta?

2) Ex. gr. Procli ad v. 605 in Etym. Magno p. 429, 37, veteris interpretis ad v. 740 in Etym. Magno p. 127, 39; Procli ad v. 508 in Etym. Florentino p. 221, grammatici veteris ad v. 744 eodem in libro p. 224; Procli ad v. 411 in Ps.-Zonarae lexico p. 1155, veteris grammatici ad v. 106, ibidem p. 670. Multa id genus alia, de quibus infra dicendum est.

ἐάσῃς τὸν παῖδά σου δωδεκαήμερον ἐπὶ τάφου καθέζεσθαι, ἐπεὶ καὶ ἀνὴρ ἐὰν ᾖ βλάπτεται, πολλῷ μᾶλλον ὁ παῖς. ἄλλως. ἀγύμναστον μὴ ἐάσῃς τὸν παῖδά σου ἀπὸ δώδεκα ἐτῶν, οὐ μὲν οὐδὲ δωδεκάμηνον. ὅθεν καὶ ἐπενοήθη τὸ ἀεὶ κινεῖν καὶ σαλεύειν τὰ παιδία. Excerpta haec esse ex aliquo contextu, argumento sunt vel prima verba: vocabula *σχόλιον* et *ἄλλως* tantum non clamant originem: coniunctio utriusque monstrat fuisse scholiorum syllogen. Ad v. 590 (p. 343) in scholiis haec sunt sub *ἄλλως*: *ἀμολγαίῃ· ἀντὶ τοῦ κρατίστῃ, ἀκμαίᾳ. τὸ γὰρ ἀμολγὸν ἐπὶ τοῦ ἀκμαίου τίθεται. Ἐρατοσθένης δὲ ποιμενικήν, Καλλίστρατος δὲ τὸν τύρον φησίν, ἢ ὀλλύραν βεβρεγμένην γάλακτι· μάζα οὖν ἀμολγαίη ἢ τυρὸς ἢ ἄρτος ἐκ γάλακτος ἐζυμώμενος.* Haec fere omnia et aucta quidem leguntur in Etymologico Magno (p. 573, 22): *μάζα· ἡ τροφή. ὅθεν καὶ ὑπερμαζᾷ τὸ ὑπερτρυφᾷ, πλουτεῖ, σπρηνιᾷ. Ἡσίοδος· μάζα τ' ἀμολγαίη· ἄρτος, ψωμός. ἀπὸ τοῦ μάσσω τὸ μαλάσσω, γίνεται τροπῇ Δωρικῇ τῶν δύω σσ εἰς ζ· ἢ παρὰ τὸ μῶ τὸ ζητῶ γίνεται μάζα ἡ ζητουμένη τροφή. λέγεται δὲ μάζα φύραμα γινόμενον ποτὲ μὲν ἐξ ὕδατος ποτὲ δὲ ἐξ ὀξυκράτου ἢ ὀξυμέλιτος ἢ ὑδρομέλιτος, ἔστι γὰρ τρόφιμον. ἀμολγαίην δὲ τουτέστι κρατίστην, ἀκμαίαν· τὸ γὰρ ἀμολγὸν ἐπὶ τοῦ ἀκμαίου τίθεται. Ἐρατοσθένης δὲ ποιμενικήν.* Quo hic est usus, in eo exemplari scholiorum nomen Callistrati aberat, aderant plura grammatica. Contra auctori Etymologici, quod dicitur *μέγα*, praesto erat exemplar, in quo Callistrati quidem illius mentio facta est, sed non tota eius sententia explicata (*ὀλλύρα βεβρεγμένη γάλακτι* omnino excidit) et videbantur insuper quaedam eiusdem Callistrati esse, quae secundum codicum Hesiodeorum scholium ipsius veteris interpretis sunt. Ita enim ille ex Reitzensteinii lectione: *μάζα· ἄρτος· φύραμα· παρὰ τὸ μάσσω* (om. A) *μάζω μάζα τροπῇ τῶν δύο σσ εἰς ζ Δωρικῇ ἢ παρὰ τὸ μῶ τὸ ζητῶ γίνεται κατὰ παραγώγως* (lege: *παραγωγὴν*) *μάζω* (*μάζα* B) *ἐξ οὗ καὶ μαστὸς ὃν ζητοῦσιν οἱ παῖδες καὶ μάζα ἡ ζητουμένη τροφή. Ἡσίοδος· μάζα τ' ἀμολγαίη γάλα τ' αἰγῶν· ἀμολγαίην κρατίστην ἀκμαίαν·* (*γάλα—ἀκμαίαν* om. B), *τὸ γὰρ ἀμολγὸν ἐπὶ τοῦ ἀκμαίου τίθεται. Ἐρατοσθένης δὲ ποιμενικὴν, Καλλίστρατος δὲ τὸν* (om. B) *τυρόν φησιν ἢ ἄρτον ἐν γάλακτι ἐζυμωμένον· „γάλα τ' αἰγῶν σβεννυμενάων" ἀντὶ*

τοῦ παυομένων τοῦ θηλάζειν καὶ διὰ τοῦτο ψυχρὸν γάλα ἐχουσῶν. τῷ γὰρ καιρῷ (*εἰς τὸν γὰρ καιρὸν* B) *τοῦ θέρους οὐκέτι θρομβῶδές* (*θρυμβ.* A) *ἐστι τὸ γάλα ἀλλ' ὑδαρέστερον καὶ κάλλιον ἢ μετὰ τὸν τοκετὸν ἀμελγομένων· „εἴη πετραίη σκίηι“* (*σκιη* B)· *τότε φησὶ ἀπὸ ἔργον ποιήσας ἀνάπαυσον ἑαυτὸν ἐκ* (!) *κατασκίω τόπω· βίβλινος δέ· οἶνος ἀπὸ ἀμπέλου οὕτω καλουμένης ἢ* (om. B) *ἀπὸ τῶν βιβλίνων ὀρῶν.* Advertas, quaeso, quae sunt a *γάλα τ' αἰγῶν* usque ad *τὸν τοκετὸν ἀμελγόμενον*, in libris Hesiodeis sub Procli nomine esse, cum tamen Etymologici auctorem in aperto sit omnia sua ut ex unius eiusdemque interpretis copiis hausta proponere. Ceterum hac facta comparatione elucebit simul, cui debeat Tzetza, quae exhibet (p. 343): *ὁ νεοφύρατος καὶ λεπτὸς καὶ τρυφερὸς ἄρτος· παρὰ τὸ μαζῶ τὸ φύρω· ἢ παρὰ τὸ μάσσω τὸ μαλάσσω. ἄρτος δὲ ὁ μέγας καὶ ἄρτιος· κἂν οἱ τῶν γραμματικῶν γριφόπλοκοι μᾶζα μᾶλλον καλοῦσι τὸ ξηρὸν καὶ στεῤῥὸν ἀρτίδιον.* Vides eum suis uberiora invenisse: suo autem more in quos invehitur, eis subripuit, quidquid habet doctrinae. Sed illud quoque noli parvi facere, quod in tot testimoniis Hesiodea tamen scholia habent quaedam quasi propria, a reliquis aliena[1]): *μάζα δὲ ἀμολγαίη ἤτοι ἡ πυκνή, ὡς καὶ νυκτὸς ἀμολγὸν εἶπεν Ὅμηρος τὸ ἐκεῖ πυκνὸν διὰ τὸ σκότος· ἢ τὴν μεμιγμένην ἐν τῷ ἀμολγεῖ· καλοῦσι δὲ οὕτω τὸ ἀγγεῖον, εἰς ὃ τὸ γάλα ἀμέλγουσι. τὸ δὲ γάλα τῶν αἰγῶν ἤδη σβεννυμενάων ἔχει τι διαφέρον, ὡς μήτε ὀρῶδες μήτε πνευματῶδες, ἀλλὰ μάλιστα πεπεμμένον, ὡς ἀπὸ νομῆς στερεωτέρας συστὰν καὶ μετρίαν ἔχον εὐκρασίαν.*

Satis iam nobis videmur demonstrasse, quod posuimus de perpetuis commentariis iam pridem per syllogas scholiorum oblivione obrutis et a doctorum usu abalienatis. Quod factum est ante saec. X, quibus temporibus compositum esse constat Etymologicum illud *μέγα*. Veri autem est simile, hanc scholiorum farraginem initio nullius auctoris nomen prae se tulisse, si quidem Eustathium supra vidimus „antiquos interpretes“ Hesiodei carminis non nominatim laudantem. Multo fortasse post, eodem fere modo ut minora ad Iliadem scholia revocata sunt ad Didymi nomen, cento ille Hesiodeus Procli

1) ibid. p. 342. Cf. etiam Eustathium ad Iliad. p. 1018, 10—20.

Neoplatonici nomine exornari coeptus est[1]), cuius de studiis Hesiodeis innotuerat videbaturque nomen quodam iure „a potiori" ut aiunt adhiberi. Fuit autem collectionum illarum id quam maxime proprium, quod promiscue in eis ferebantur utriusque interpretis scholia, saepe in unum conflata, nonnumquam aucta aliunde petitis: ea denique licentia omnia sunt habita, ut nec Procli nomen nec siglum illud ἄλλως quidquam certi de auctore contineant. Omnino ἄλλως ab initio ita videtur positum esse, ut nihil significaret nisi esse, quae sequerentur. Ita factum est, ut temporum decursu gliscente adsciscendi et contaminandi studio per totam pristinae sylloges progeniem saepissime excerpta vel unius eiusdemque commentarii illis signis dividerentur, quia in variis reperiebantur collectionibus, neque non ut quae scholia eiusdem collectionis habebant signa, ea interdum abicerentur propter nova scholia, quae cum eisdem signis induci debebant. Ita vel diverssissimae originis scholia sunt permixta. Sed ex quo gravissimam iacturam fecit doctrina utriusque interpretis, accedit studium decurtandi. Ita ex excerptis excerpta sunt nata, ex aliis collectionibus tantum illa, quae varia vel erant vel esse videbantur, addebantur et ne haec quidem nisi excerpta; e pluribus scholiis unum efficiebatur nulla cura originis habita. Quod tamen nihilo minus etiam nunc licet ex hac multifariam detorta farragine utriusque interpretis naturam cognoscere et dividere doctrinam, quodque exceptis plurimis locis tamen restant, in quibus per ἄλλως in universum recte disiungantur veteris grammatici scholia a Proclianis, huius rei tres si quid video sunt causae. Primum utriusque interpretis natura, indoles, ratio interpretandi tam longe recedit ab altero, ut paucis exceptis locis non potuerint vel ab insciis collectoribus et excerptoribus permisceri. Tum ex primaria id genus collectione, quam iure dicas utrumque recte dignovisse, plurima integra sunt servata. Denique in comparatione instituta inter codices Hesiodeos et ea, quae exhibent Tzetza, Moschopulus, auctores Etymologicorum, Eustathius, alii, instrumentum quoddam praesto est ad

1) Quoniam vetustissimi libri (ex quibus tamen Par. A initio est mancus) nomen auctoris non exhibent, excitamur ad suspicionem, qua coniciamus, Procli nomen demum a Tzetza inductum esse.

diiudicanda scholia aptissimum. Ita fit, ut raro, quod verum sit in his rebus, lateat.

Accedamus nunc ad id, ut demonstremus, quomodo sit utendum hoc instrumento.

5.

Vel obiter legentes Tzetzae scholia non fugit, quanta ille audacia ubique fere invehatur in interpretem vetustiorem. Statim in prolegomenis suis, multum eum cavillans, spopondit omnibus in rebus meliorem illo interpretationem sese daturum (p. 11): *ἀλλὰ τὰ μὲν ἡμαρτημένα τῷ σοφωτάτῳ Πρόκλῳ περεατέον μοι, χωρητέον δέ μοι πρὸς τὴν ἐξήγησιν. ὑμεῖς δὲ ἀμφοτέρας τὰς ἐξηγήσεις θέντες παράλληλα ἀφιλέχθρως καὶ φιλαλήθως, τοὺς τοῦ Πρόκλου καὶ τοὺς ἐμοὺς ἀετιδεῖς ἐπικρίνατε, ὁπότεροι καθαρώτερον πρὸς τὴν Ἡσιόδου ποίησιν κτλ.* At nomen suum quomodo solvit? Nihil fecit nisi exscripsit adversarium suum venditans ea scholia, quae vidimus veteri esse interpreti tribuenda, pro Proclianis. Quem morem in memoriam tibi revocabo paucis exemplis. Ad v. 526 (p. 316) habet Tzetza: *χειμῶνος γὰρ πολλοῦ γεγονότος τὸ θήριον ἡ ἄρκτος ἐν τῷ ἑαυτῆς φωλεῷ καθημένη τοὺς ἰδίους πόδας περιλιχμάζουσα διαζῇ, τῷ ἀπορεῖσθαι τροφῆς· ὁ δὲ πολύπους ὁ θαλάσσιος τοὺς ἑαυτοῦ πλοκάμους ἐσθίει. ὅθεν πολλάκις πολύποδες εὑρίσκοντα κολοβόποδες. Ἀριστοτέλης δὲ ὑπὸ παγούρων φησὶ τούτους, οὐχ ὑπὸ τῶν πολυπόδων ἐσθίεσθαι.* Eadem sunt in Procli scholio, quod ad eundem versum (p. 315 sq.) exstat, coniunctum cum scholio veteris grammatici. Hic autem quasi faucibus premitur bonus Tzetza: testimonium enim Aristoteleum una cum errore, quo laborat eius „Proclus", furatus est. Neque enim usquam Aristoteles dixit polypodas *ὑπὸ τῶν παγούρων ἐσθίεσθαι τοὺς πόδας*, verum *ὑπὸ τῶν γόγγρων* (hist. anim. 8, 2 p. 590^b 18). Iam vide, qualem se praebeat iste interpres, si forte destitutus sit fonte, ex quo sua exceptis paucissimis o m n i a soleat haurire. Velut verisimile est ad v. 695 Procli scholium ei non praesto fuisse: periphrasi utitur (p. 377): *ἁρμοδίῳ δὲ χρόνῳ καὶ γάμῳ συναρμόσθητι. λέγει δὲ τοῦτον εἶναι τὸν μήτε πολὺ ἐπαναβεβηκότα τῶν τριάκοντα ἐτῶν μήτε πολὺ ἀποδέοντα ... καὶ οὕτω μὲν ὁ Ἡσίοδος. ἐμοὶ*

δὲ δοκεῖ ταύτας ἑτέροις νυμφαγογεῖν, οὐχ οἷσπερ ταῦτα παρακελεύεται. πολὺ παρηλικεστέροις γὰρ αὐτῶν ἀνδράσι ταύτας συνάπτων ἀφυβρικέναι μονονουχὶ ταύτας παρακελεύεται πρὸς τὰς τούτων εὐνάς. μικρὸν γὰρ ἤδη, καὶ οἱ μὲν τελέως γηράσαντες ἀσθενήσουσιν, αἱ δὲ πρὸς τὸ σφριγοῦν τῆς ἡλικίας ἀναδραμοῦσαι, τὴν ἀνδρικὴν τριβάδα ὁπόθεν γενήσεται αὐταῖς μηχανήσονται. παρακελεύεται δὲ τὸν γάμοις συναρμοττόμενον καὶ παρθένον λαμβάνειν καὶ ιε χρόνων. ἐμοὶ δὲ διηπόρηται, εἰ καὶ τῆς μητρῴας νηδύος παρθένα νῦν καὶ ἄσπιλα τὰ θήλεα τίκτεται. ἐπὶ ὡρισμένῳ δὲ καιρῷ καὶ ἐπιτηδείου χρόνου ὑπάρχου, ἢ ἁρμοδίου χρόνου. ἡ δὲ γυνὴ γαμείσθω μετὰ τὴν ἥβην, ἔτος πέμπτον ἔχουσα κτλ. Undique destitutus quid fecit? Contra Hesiodum ipsum pugnavit, unum annum (tantine hoc erat?) addidit aetati ab illo constitutae. Talem eum interpretem semper invenies, ubicumque Procli defecerint scholia et veteris interpretis. Quanta autem in ipso fuerit rei grammaticae peritia, eius rei argumento sit, quod est ad v. 696 (p. 379): *μὴ γράψῃς 'τριηκόντων', εἴτε Ἡσιόδου εἴτε μεταγραφικὸν τὸ πταῖσμα τυγχάνει, ἀλλὰ τριήκοντα. πᾶσα γὰρ φωνὴ τὰ τρία γένη σημαίνουσα ἐν μιᾷ λέξει ἄκλιτός ἐστιν· οἷον τριάκοντα, πεντήκοντα, καὶ πάντες οἱ ἄριθμοι. ὥσπερ καὶ τὸ ἐγώ, σύ, ἐμοὶ καὶ τὰ ὅμοια. οἷς δὲ βουλητὸν ἀποπηδᾶν τῶν ἐμῶν λόγων γραφέτωσαν τριακόντων καὶ πεντηκόντων καὶ ἑξηκόντων καὶ ἑκατόντων, εἰ βούλοιντο.*[1]) Sed nolo diutius versari in re manifesta: debuit Tzetzae omnia sua (res dico, non verba), quaecumque alicuius sunt pretii, scholiis veteribus.

Unus omnino est locus, ubi quis in dubitationem hoc vocaverit, quippe in quo Byzantinus interpres cum abhorreat ab interpretatione Procliana, nihilo minus et copiose et cum fructu disputet. Pertinet haec interpretatio ad Pandoram et

---

1) Ut digamma suum hic quoque haberet, praeferebat H. Flachius formam a Tzetza commendatam contra auctoritatem optimorum librorum et papyrorum. Optime contra eum disputavit Hartelius „Zeitschr. für österr. Gymn." 1876 p. 640 sq. Cf. etiam Rzachium „der Dialekt des Hes." in Jahrbücher für Ph. suppl. VIII. 1876 p. 424 eundemque in apparatu critico ad hunc versum in editione 1884. Praeterea vide Roehlium Inscr. graec. antiq. 381 c. d. Etym. Magn. p. 290, 51. Anthol. 14, 3, 9. 123, 13 etc.

quae cum hac sunt coniuncta. Contra morem suum hoc loco Tzetza se gerit: Epicuri doctrinam amplexus contra unamquamque fere sententiam Hesiodi disputavit.[1]) Neque contigit nobis, ut fontem eius detegeremus. Quod enim Ed. Nordenus[2]) credebat Tzetzam a Diodoro doctrinam suam mutuatum esse, ne ipsum quidem virum doctum fugit esse in summa conspiratione quaedam apud Tzetzam, quae in Diodoro vel omnino non vel aliter inveniantur, cum tamen Epicuream eorum originem testetur Lucretius.[3]) Haec Tzetzam ex altero quodam fonte hausta apte ipsum coniunxisse neque ego adducor, ut credam, neque crediturum esse puto, quicumque Tzetzae ingenium satis cognoverit. Et patet multo simplicior ratio: omnia Tzetza unico suo fonti debuit, scilicet scholiis Hesiodeis, quae usque ab illius ad hanc aetatem interierunt, Proclianis dico. Proclum enim veri est simillimum ex suo more disputavisse ad illam carminis partem et copiose et philosophiae habita ratione. Epicurea eum dixeris attulisse impugnandi causa. Similis est locus, ubi invehitur homo stolidus in Proclum, quod nimis multa, scribat ad v. 54 (p. 80): hoc ipso loco Procliana in nostris tenuissima sunt.

Quae cum ita sint, id procul dubio nunc credo stare, totum Tzetzam pendere ex scholiorum quadam sylloge, ad quam restituendam cum fructu adhibebitur.

Idem valet de Moschopulo, illis exceptis locis, ubi propria ille sua utitur paraphrasi. Eius ingenium pernosces ex uno exemplo. De interpretanda Pandorae fabula, in qua est plurimus Tzetza, quo rursus plura scripsisse conclusimus Proclum, Moschopulus ne verbum quidem dixit. Ad v. 71 (p. 92 sq.) post quaedam ab ipso aliena pergit quam copiosissime hunc in modum: *τὸ πᾶν δὲ τοιοῦτον· οὕτως ἔφη· πλατὺν δὲ ἐγέλασε γέλωτα ὁ πατὴρ τῶν ἀνδρῶν καὶ τῶν θεῶν· τὸν Ἥφαιστον δέ, οὗ ἡ φημὴ περιᾴδεται, ἐκέλευσε γῆν ὕδατι μιγνύναι ὅτι*

---

1) Cf. ad v. 42 p. 67—70; ad v. 43 p. 71; ad v. 45 p. 72 etc.

2) „Beiträge zur Gesch. der griech. Philos." Jahrbücher für Ph. 1893 suppl. XIX. p. 412 sqq. De Diodoro in libro I c. 1 sqq. Epicureae doctrinae sectatore cf. Usenerum „Epicurea" p. 380 sq.

3) Cf. Tzetzam edit. Gaisf. p. 68, Diodorum I 8, Lucretium V. 948 sqq.

τάχιστα, ἤγουν πηλὸν ποιεῖν· ἐνθεῖναι δὲ αὐτῷ ἁρμονίαν μελῶν ἀνθρωπίνων καὶ δύναμιν· ὁμοιοῦν δὲ τὸ πλᾶσμα εἰς ὄψιν ταῖς ἀθανάταις θεαῖς ταῖς παρθένοις· τουτέστιν εἰς τύπον παρθένου αὐτὸ ποιεῖν κατ' εἶδος εὔμορφον, ἐπέραστον· τὴν Ἀθηνᾶν δὲ ἐκέλευσε διδάξαι αὐτὴν τὴν ὑπὸ τοῦ Ἡφαίστου πλασθησομένην παρθένον, ἐργασίας· λέγω ὑφαίνειν ἱστὸν πάνυ ποικίλον· καὶ ... Ita ille saepissime per totam suam interpretationem.[1]) Et constat eum non uno loco ad verbum exscripsisse antiqua scholia. Inter multa exempla conferas ad v. 695 (p. 378): τὰ μὲν περὶ ναυτιλίας αὐτῷ διατάγματα τέλος ἔχει, τὰ δ' ἑπόμενα κοινά εἰσιν, εἰς πᾶσαν τείνοντα τὴν ζωὴν τῶν ἀνθρώπων, οὐ γεωργησόντων οὐ θαλαττουργησόντων, ὧν πρῶτόν ἐστι τὸ ὁρίζον τὸν περὶ τοῦ γάμου καιρόν, καὶ τῷ γαμήσοντι καὶ τῇ γαμηθησομένῃ. καὶ γὰρ τοῦτο ἀκόλουθον ἦν τῷ τὸν καιρὸν ἄριστον εἶναι πᾶσιν κτλ. Quae sequuntur, pertinent ad inanem eius paraphrasim: ea vero, quae apposui, omnia etiam nunc Procli sub nomine servantur et Procli sine dubio sunt (p. 377). Ad v. 754 (p. 410) incipit paraphrasis: tum confitetur habere se quaedam e Proclo et exscripsit ad verbum, quae nunc quoque Procliana servantur (p. 409): denique posuit ἄλλως et haec scripsit: παρακελεύομαι μηδὲ καθαίρεσθαι ἄνδρα τὸ σῶμα διὰ λουτροῦ γυναιξὶν ἁρμόζοντος· τουτέστι παρακελεύομαι μὴ μύροις καὶ χρίσμασί τισιν ἐν λουτρῷ χρῆσθαι ἄνδρα, οἷς εἰώθασιν αἱ γυναῖκες χρῆσθαι. Sunt haec veteris interpretis, nunc quoque leguntur eodem signo a Proclianis divisa (p. 409 sq.) Censesne istum hominem, si forte deest, unde coarguatur, propria dedisse? Cuius generis videntur mihi, quae legimus (p. 38) ad carminis initium: quae tamen si quis nimis trita ac vulgaria iudicabit quam ut exquisitae „Veteris" doctrinae attribuas, illa vide, quae docet Moschopulus ad v. 67 (p. 89): πόθος δέ ἐστιν ἐπιθυμία πραγμάτων ἀπόντων· ἐπιθυμία δὲ καὶ ἵμερος τὸ αὐτό, καὶ λέγεται ἐπὶ τῶν παρόντων, δηλοῦσι δὲ ὁρμὴν ψυχῆς καὶ κίνησιν ἐπί τι, τὸ μὲν ἀπὸ τοῦ θυμός, ἡ τῆς ψυχῆς κίνησις καὶ ζέσις, ὃ γίνεται ἀπὸ τοῦ θύειν τὸ ὁρμᾶν· ὁ δὲ ἵμερος ὅτι ἱέμενος ῥεῖ, καθά φησιν ὁ Πλάτων. ἔρως δέ, πάθος ἔξωθεν διὰ τῶν ὀμμάτων τῇ ψυχῇ προσγινό-

1) Cf. p. 121, 124, 125, 130 saepius. Plura dabo infra.

μενον, διὰ ταῦτά φησιν ὁ αὐτὸς Πλάτων, ἀπὸ τοῦ ἐσρεῖν, ἔσρους τό γε παλαιὸν ἐκαλεῖτο. τῷ γὰρ ου ἀντὶ τοῦ ω ἐχρώμεθα· νῦν δὲ ἔρως κέκληται διὰ τὴν τοῦ ω ἀντὶ τοῦ ου μεταλλαγήν. Quam interpretationem, cuius ne vestigium quidem superest in nostris, totam e Proclo fluxisse et neminem fugit et fit res manifesta comparato Etymologico Magno (p. 458, 8; cf. not.), cuius in libro Vossiano post scholia Homerica (ad A 174) adiuncta sunt quaedam, quae cum Moschopulo prorsus congruant quibusque et ipsis Plato laudetur (cf. Cratyl. p. 419E sq.). His intellectis illud simul intelleximus, Moschopulum fonte suo diligentissime usum esse. Quod vel inde probabile est, quod pro certo affirmaverim nihil eum aliunde adscivisse. Neque enim est apud eum locus, qui hac de re dubitationem moveat.

Sed vel accuratius licet planum facere, quale fuerit id exemplar scholiorum, quo usus sit Moschopulus. Ad v. 695 vidimus eum ad verbum Proclianum scholium exscribentem: in medio subito destitit, nulla idonea causa, ut videtur. Idem ad v. 705 (p. 382) cum coepisset: *προοίμιον τοῦτο τίθησι μετὰ τοὺς περὶ γάμου λόγους τῶν ῥηθησομένων παιδευμάτων, ἀξιῶν πρὸ πάντων στοχάζεσθαι τοῦ κεχαρισμένου τοῖς θεοῖς*, exscripsit initium Procliani scholii (p. 381): reliqua praeteriit addiditque, quae sine dubio ex eodem fonte fluxerunt, nunc tamen in scholiis non leguntur: *καλῶς δὲ ἔσο φυλάττων ἐπιστροφὴν τῶν θεῶν τῶν μακάρων ἀντὶ τοῦ ἐπιστρέφου τῶν θεῶν.* His et similibus cogimur affirmare, eum non plura exscripsisse, propterea quod plura non invenit. Accedit, quod ab eo Proclus rarius nominatur, saepissime veteris grammatici doctrina in usum vocatur; iam licet concludere, eius scholiorum exemplar et a nostris et a Tzetzae collectione admodum diversum fuisse, in multis autem simillimum ei, quo auctores Etymologicorum usi sunt.

In lexica antiqua quae ex scholiis Hesiodeis manaverunt, ea non una ratione adgnoscuntur. Ac primum quidem sunt *ἅπαξ λεγόμενα*, quae tamen non ita multa inveniuntur. Sequuntur illa, in quibus nostris scholiis comparatis statim patet, qui fuerit fons. Quorum genus iam vidimus frequens esse. Porro ipsa lemmata scholiorum occurrunt saepius in

lexicis, ut dubium non sit, quin quae sequuntur ex scholiis deprompta sint. Vide sis exempla. Ad v. 24 (κακόχαρτος ἔρις) in Etym. Magno p. 484, 48 et in Ps.-Zonarae lexico p. 1156. Ad v. 38 (δωροφάγους) apud Ps.-Zonaram p. 587 et in Etym. Florentino p. 95. Ad v. 106 (ἐκκορυφώσω) in Etym. Magno p. 322, 27 et apud Ps.-Zonaram p. 670. Ad v. 187 (γηράντεσσιν) in Etym. Florentino p. 77. Ad v. 360 (ἐπάχνωσεν) in Ps.-Zonarae lexico p. 822. Ad v. 408 (τητᾷ) in Etym. Magno p. 757, 51 et in Etym. Florentino p. 281. Ad v. 508 (μέμυκε vel μεμυκέναι) in Etym. Gudiano p. 387, 19 et in Etym. Magno p. 579, 9. Ad v. 742 (ἀπὸ πεντόζοιο) apud Ps.-Zonaram p. 243. Ad v. 477 (εὐοχθέων δ' ἵξεαι πολιὸν ἔαρ) in Etym. Magno p. 401, 14. Alia id genus sunt multa. Nonnumquam comparatis scholiis statim tenes hic quoque originem. Exempli gratia ad v. 744 (οἰνοχόην) conferas cum Etym. Florentino p. 224 scholium veteris grammatici p. 403; ad v. 707 (κασίγνητος) cum Etym. Gudiano p. 302, 5 scholium eiusdem interpretis p. 383; ad v. 411 (καλιά) cum Ps.-Zonarae lexico p. 1155 scholium Procli p. 261; ad v. 106 (ἐκκορυφώσω) cum Ps.-Zonara p. 670 scholium grammatici veteris p. 106; ad v. 518 (τροχαλόν) cum Etym. Magno p. 769, 55 scholium Procli p. 313; ad v. 740 (ἀπὸ πεντόζοιο) cum Etym. Magno p. 127, 39 scholium veteris interpretis p. 401. His inter se comparatis lucramur etiam alia quaedam quasi signa, quibus aliis locis, ubi illa priora desunt, dignoscamus, quae ex Hesiodeis scholiis fluxerint. Veluti lemma si non est accurate exscriptum, adsunt ipsi saepe versus Hesiodei, in quibus vocabulum inest, quibusque scholium erat adscriptum, modo addito modo omisso nomine poetae. In aliis excipit ipsam glossam solum nomen poetae, quod cum saepius postea a librariis non perspecta causa, cur adderetur, omissum sit, destituti certo indice, ipsa ratione cogimur quaedam interpretibus Hesiodeis attribuere. Sunt etiam, in quibus nobis desperandum esset, nisi benigne ipsi auctores Etymologicorum succurrerent suis inserentes vocabulum σχόλιον. Cf. Etym. Magn. p. 59, 32 not.; p. 43, 5 not.; p. 58, 23 not.; Etym. Gud. p. 302, 5 (corruptum in σχεδόν); Etym. Florent. p. 247 et quae sunt eiusdem notae. Docuit me Reitzensteinius in libris manuscriptis illius Etymologici, quod

dicitur μέγα, idem vocabulum positum esse saepe in ipso principio capitis. Supra autem vidimus in codice Vossiano Etymologici Magni vel illud ἄλλως esse uno loco conservatum. Illam vero copiosissimam de voce Ἀργειφόντης disputationem, in qua tanta est copia doctrinae in ipsis scholiis nunc deperditae, ut vix mirum sit, si quis de pluribus fontibus cogitet, hanc totam copiam auctor Etym. Gudiani p. 71, 42 ad unum illum fontem nominatim revocavit.

Unus Eustathius difficultatem movet. Nam etiamsi constat hunc hominem saepissime ad verbum exscripsisse fontes suos, nusquam tamen offert, unde singulos fontes a ceteris diiudicemus. Contaminare enim solet plures, nec sine arte quadam. Cum tamen semel confessum teneamus illum se debere aliquid „veteribus Hesiodi interpretibus" (cf. locum supra allatum, ad Iliad. p. 194, 31), ea ipsa re ostendit, sibi hos fuisse praesto. Tamen cautissime erit adhibendus ad restituenda scholia Hesiodea. Quod munus nobis iam est suscipiendum.

6.

Liceat praemonere, me in eis, quae sequuntur, brevitati ita consuluisse, ut paginis versibusque Gaisfordianis Procliana indicare satis haberem, quae autem aliunde petenda erant, ea ex parte tantum exscriberem.

Sunt igitur Procli ad Hesiodeum carmen prolegomena p. 3—4, 21; quae sequuntur usque ad finem, alium auctorem produnt et in codice Dorvilliano illo ἄλλως distincte a prioribus dividuntur. Itaque in aliis libris coniuncta sunt cum Proclianis immerito: statim prima verba novum indicant exordium. Quae sunt post verba τὸ ποίημα εἶναι Μουσῶν exarata, desunt in libris vetustissimis[1]), leguntur tantum in recentioribus Parisinis. Nihilo minus sunt priora usque ad vocem ἰστέον (8) etiam in Dorvilliano exarata: nec tamen videntur eiusdem hominis esse, si quidem eodem ex fonte fluxisse ea apparet atque excerpta illa Procliana, quibus de originatione

1) Desunt in codice Dorvilliano, in C fortasse erant, sed primum folium huius libri periit manusque quinque saeculis recentior et versus carminis et scholia (Moschopuli) supplevit. Cf. Rzachium in Symbol. Pragens. p. 166 sq.

nominis Hesiodi tractatur. Proclo hanc ob causam et illa tribuamus. Quae inde a verbo *ἱστέον* (p. 4, 8) usque ad *γένος Ἡσιόδου* leguntur, certe sunt veteris interpretis, nam et a prolegomenis Tzetzianis longissime abhorrent, et alienum est argumentum a Proclo, qui id ipse a se neglectum esse initio confessus sit.

Totum *γένος Ἡσιόδου* Tzetzae esse manifestum est, quamvis magnae hac de re fuerint inter viros doctos controversiae. Etenim post Lobeckium[1]), Welckerum[2]), Prellerum[3]) totam vitam a Proclo abiudicavit primus Rankius[4]), tum Rosius[5]) et Bergkius.[6]) Qui tamen erraverunt in eo, quod nimium tribuerent his Tzetzianis verbis (p. 10 sq.): *ὁ μὲν σοφὸς Πρόκλος ἐπεξηγούμενος τὴν παροῦσαν βίβλον . . . πρῶτα μὲν γὰρ ἐχρῆν διαίρεσιν φάναι τῶν ποιητῶν καὶ τίνα τούτων χαρακτηρίσματα καὶ τίνες τούτων οἱ περιβόητοι· ἔπειτα τὸ γένος εἰπεῖν τοῦ προκειμένου πρὸς τὴν ἐξήγησιν, καὶ τίνι συνήκμασε καὶ πόσας βίβλους ἐξεπονήσατο, ποῦ τε καὶ ποίῳ τρόπῳ τὸν βίον κατέλυσεν· εἶτα τὴν βίβλον τούτου προχειρισάμενον, πρῶτον μὲν ἀκριβῶς τὸν αὐτοῦ φάναι σκοπόν· μετέπειτα δὲ καὶ τὰς μυθικὰς ἱστορίας εἰς πλάτος, εἶτα καὶ ταύτας ἀλληγορῆσαι, καὶ μέτρα καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἀναγκαίων... ὁ δὲ οὐδὲν τούτων πεποιηκώς, ἀπροδιηγήτως καὶ ἀκεφάλως καὶ ὥσπερ ἐξ ἐπιδρομῆς καὶ ἐφόδου, καὶ ταύτης συγκεχυμένης, προσβάλλει πρὸς τὴν ὑπόθεσιν.* Concluditur autem inde hoc tantum, Tzetzam non legisse vitam a Proclo conscriptam, quod cum iam non ignoremus eum non integros Procli commentarios, sed tantum scholiorum collectiones habuisse, ad ipsum Proclum nihil attinet. Contra alterum argumentum, quod viri docti quasi supplementi causa et fere diffidentes posuerunt, gravissimum mihi videtur: vitam quae feratur Procli simillimam ei esse, quam Tzetzam conscripsisse constat non modo, quod nomen eius inest in codicibus Vaticano et Veneto,

---

1) Aglaopham. I p. 326 sq.
2) Der epische Cyclus I^2 p. 3 sqq.
3) Allgemein. Hallens. Litterztg. 1837 p. 112 sqq.
4) De Hesiodi Oper. et Dieb. commentatio 1840 p. 4 sqq.
5) Aristotel. pseudoepigr. p. 508 sqq.
6) Littgesch. I 918. Poet. lyr. graec. I^4 p. 479 adnot. (II^4 341).

sed etiam, quod eam esse suam ipse testatur (p. 12, 13—16). Et quoniam per ipsam vitam nulla est adversarii cavillatio, recte mihi videtur Bergkius statuisse Tzetzam esse auctorem, tenere autem nos duplicem recensionem opusculi Tzetziani, pleniorem ab ipso conscriptam, alteram paulo breviorem a librario recentissimo, est enim servata in libris tribus Parisinis saeculi decimi quinti. Discrepantias vel ex neglegentia vel ex brevitatis studio esse natas.[1]) Unum illud, quod dubitationem movet, Aristoteles laudatus ita, ut laudari non solet ab homine indocto (p. 8, 1; cf. p. 18, 3), solvit mea quidem opinione recte ille ipse, cui maxime sunt inde scrupuli iniecti, Goettlingius.[2]) Neque Tzetza, quod esset maxime admirabile in hoc homine, ipse vitam composuit. Profluxisse eam e fonte vel eodem vel ei simillimo, e quo tractatus ille Florentinus manavit (de Certamine Homeri et Hesiodi) dudum est demonstratum.[3])

Ad v. 1, ut ad scholia redeamus, tradita sunt Procli sub nomine, quae sunt p. 23—24, 23, in quibus nonnulla repetuntur, quae iam in Prolegomenis legimus, id quod nihil miri habet in hac sylloge. De etymo nominis Hesiodi habet quaedam alia Etym. Magnum p. 438, 25 (s. v. Ἡσίοδος), neque dubito ego, quin illa quoque inter Procliana fuerint, quia Stoicorum utroque loco exhibentur sententiae. Et ne quis ea re ab hac sententia probanda retineatur, quod comparato utroque loco variae sententiae tribuuntur eisdem, memor sit, quam saepe in talibus rebus Stoicorum principes varias, pugnantes adeo inter se sententias protulerint. Conferas Chrysippi varias sententias, quae exstant de nomine Rheae in scholiis Theogoniae ad v. 135 p. 459 et in Etym. Magno p. 701, 24. Peculiari capite de hac re egit Flachius.[4]) Eiusdem generis sunt, quae de Musae nomine traduntur, paulo copiosius in Etym.

1) Cf. Friedelium in Jahrbüch. für Phil. Suppl. X p. 261 sqq. Schoemannus opusc. II p. 69 adnot.

2) In praefatione edit. tertiae p. 58 sq. Cf. etiam Heitzium „Die verlorenen Schriften des Aristot." p. 205 sq. Bergkium Poet. lyr. Gr. II⁴ p. 338 sqq.

3) Nietzschius in „Rhein. Mus." XXV p. 532 sqq.

4) „Gloss. und Schol. zur hesiod. Theog." 1876.

Magno p. 589, 40. Conferas Platonis Cratylum p. 406a, Eustathium ad Iliadem I 9, 19—21, 29 Stallb. Tzetza vero quae in scholio suo ad hunc versum multis verbis (p. 24, 24—28, 7) profundit, ea omnia sunt Procli: produnt enim hominem statim prima verba, quae ab eo exscripta casu etiam nunc leguntur in scholiis Procli, produnt rarioris memoriae testes, Eumelus et Epicharmus (Ἥβης γάμος), quos sane ille non legit, prodit denique fervor ille, quo suo more invehitur in eum, cuius omnia exscripsit. Etiam illa, quae p. 30, 15—31, 14 exhibet, Proclo se debere fatetur ipse his verbis: ἀλλὰ καὶ τοῦτο πάλιν τὸ μακρολόγημα σόν ἐστιν. Nec minus sunt, quae habet p. 32, 12—34, 2, Procliana non tantum propterea, quod scriptores laudantur, qui alieni sunt a lectione Tzetziana, sed etiam propter philosophicam et allegoricam interpretationis rationem. Insuper sub finem Proclum appellat cum contumelia dicens eum οὐρανοδρόμον. Quae porro explicat Tzetza de vocabulo θεός et singulis deorum nominibus, vix aliunde ea adscivit: ergo haec quoque pristino fonti restituamus. — Ad v. 4. 5 tradita sunt eius sub nomine scholia p. 39, 22—40, 5, quorum ad priorem partem alludit Tzetza p. 30, 15, pleniora fuisse indicans p. 40, 16. Ad v. 7 servatum est Procli scholium p. 40, 20, coll. p. 41, 3 sq. — Ad v. 8 Proclus loquitur p. 41, 14. — P. 42 traduntur Diadochi sub nomine ad v. 9 satis multa (v. 6—16). In libro Dorvilliano leguntur alia non pauca (cf. notam p. 42), inter quae etiam nonnulla per ἄλλως inducta. Neque est dubium, quin vel in illis, quae Proclo adscribuntur, sint quaedam inculcata; velut comparatio usus Homerici et Hesiodei (v. 9—11) veteris est interpretis. Reliqua optime se habent. Versus quoque Iliadis ab ipso Proclo appositus esse potest, ita quidem, ut in libro Dorvilliano legitur. Confirmatur sententia comparato Dorvilliano cum illis, quae in C leguntur. Ipse vero versus laudatus causa est facta, cur secundam quoque veteris interpretis comparationem Proclianis adiungerent. — Ad versus eiusdem posteriorem partem sunt Procli in p. 43, 20—26, in quae Tzetza invehitur p. 42, 23. — Ad v. 11 servata sunt nonnulla Procli p. 44, 14—19, reliquiae tamem nimis exiles uberioris multo commentarii: patet hoc et e Tzetzae cavillatione (p. 45, 16), et quod desideramus prae-

fationem eam, quam solet singulis carminis[1]) partibus praemittere. Aliunde haec restituere nunc non licet. — Quae leguntur Procliana p. 46, 29—47, 2, sunt procul dubio grammatici interpretis, non Procli: quae loquitur scholiasta p. 47, 3—10, eorum mentionem fecit Tzetza p. 45, 16. — Ad v. 14 p. 48, 33—49, 8 Procli habemus scholium, unde tamen facile disiungamus vocabulum primum *ὑπερβατόν*. Quod ipsum pertinet ad veterem interpretem, apud quem postea Alexandrinorum doctrinam inveniemus. Quae eadem pagina v. 9—11 traduntur et lemmate tantum seiunguntur ab illis, quae exhibet liber Parisinus recentissimus (cf. notam q), ea debent etiam posito *ἄλλως* dividi. Iam supra (p. 30) demonstratum est, opinor, haec hominis Christiani esse, veteris nimirum interpretis, non Procli. Ceterum contra doctrinam in eius scholio ad v. 17 p. 49, 13—20 traditam disputat Tzetza p. 49, 25—50, 3, memor est rei etiam Moschopulus p. 48, 30. — Quae explicat Proclus ad v. 18 p. 50, 14—24 (ex parte exscripsit Tzetza) ea docent, nonnunquam planam quidem illius, sed inanem fuisse interpretationem. — Ad v. 19—21 nonnulla sunt Proclo scholia adscripta (p. 51, 14—52, 2, 3—6, 20—21), quae videntur augeri posse eis, quae Moschopulus habet ad v. 21 p. 52, 31—53, 1: explicatur enim in illis vocabulum *ἔργον* ex philosophorum more, id quod maxime abhorret a simplicitate Moschopuli. Idem valet in Moschopuli interpretationem verbi *ζηλοῦν* p. 53, 28—54, 2, quae procul dubio eius non est propria. — Ea, quae p. 54, 6—9, 20—27 inveniuntur, prorsus male distributa sunt scholia: priora, quibus explicatio verbi *ἄφενος* continetur, certe Procli non sunt, quippe quae in etymis quaerendis versentur, posteriora vero, etiamsi per *ἄλλως* notantur, auctorem produnt, cum haec legimus: *προτρέπεται πρὸς γεωργίαν διὰ τοῦτο* et *τοῦτο δεῖ μᾶλλον ἐπανάγειν εἰς τὰ εἰρημένα περὶ τῆς χείρονος ἔριδος*. Conferas etiam p. 55, 33. — Ad v. 27 Procli sunt nonnulla p. 55, 20—25. Quae paulo post (v. 30—33) exhibentur de voce *κακόχαρτος*, eius non sunt omnia. Dico prima vocabula *ἢ ἡ κακοῖς χαίρουσα ἤ*. Haec desunt in libris vetustissimis et sunt procul dubio translata e scholio veteris

1) Cf. ad v. 1, 48, 201, 379, 704 etc.

interpretis, cuius doctrinam statim sequi postea videbimus. — Ad v. 29 plura fuerunt Procli quam nunc traduntur p. 56, 8—12: partem servavit Moschopulus p. 55, 3—17, quae eius non esse statim tibi persuadebis, si modo eiusdem Moschopuli de eadem re ex alio fonte hausta p. 56, 18—24 comparaveris. — Quae ad v. 30 sunt adscripta, ea ex parte mihi persuasi iniuria Proclo attribui: potuit ille sane recte intellegere vocem *ὥρη*: de hac re multa disputare eius non est. Accedit, quod pertinet haec doctrina ad Alexandrinos, quibuscum nihil necessitatis est Proclo, ut suo loco erit ostendendum. — Ad v. 32 servatum est Procli scholium p. 58, 3—10. Sed in explicando Cereris nomine tam parcum eum fuisse, veri non est simile. Et habet, qui semper eum exscripsit, Tzetza hoc loco plurima, quae omnia Proclo eum debere monet ipsa explicatio nominis, quam e Procli scholiis tacite sumpsisse eum etiam nunc demonstrare licet. Conferas p. 58, 25 et 59, 22. — Porro adest Proclus ad v. 33, 4 p. 60, 28—61, 5, 22—26; ad v. 35 p. 62, 9—12; ad v. 37 ib. 16—24; ad v. 39 p. 63, 6—12; ad v. 40 ib. 19—28. — Ad v. 41 exiguum exstat scholium p. 64, 11—15, quod ita significat Tzetza p. 65, 8: *πάλιν δ' ὁ Πρόκλος ἐξαποπτύει λόγους· Θέλων διδάσκειν τῆς ἀλίμου τὸν τρόπον.* Eum igitur dicit multum fuisse in demonstrando, quae esset utilitas asphodeli. Qua de re nos quoque legimus scholium, sed illud veteris interpretis (p. 64). Itaque arbitratus est Usenerus (l. l. p. 590) Tzetzam suo more non satis diiudicare scholia. At nihil impedit, quominus dicamus de eadem re ipsum Proclum multa conscripsisse. Licet enim suspicari iam Plutarchum argumentum illud novisse.[1])

Iam supra diximus, cui debeat omnia sua Tzetza de Epicureorum sententiis: itaque quae p. 66, 6—14 continentur Procliana, eis addenda sunt quaecumque Tzetza habet p. 67—70. Quae autem postea Tzetza molestissime in eandem sententiam repetit, ea non sunt necessario Proclo attribuenda: Tzetzianum est, quae suum in usum semel convertit, iterum iterumque venditare. — P. 71, 9—15, 24—72, 5 legis scholia Procli ad v. 43, 45, quae licet augere ex Tzetza exemplo Herodoteo

1) Cf. Sept. sap. conv. p. 157e; De facie in orb. l. p. 940c.

(p. 72, 24—73, 6): hoc enim sine dubio iam Plutarchus Proclo, Proclus Tzetzae suppeditavit. — Ad v. 47 nonnulla sunt tradita p. 73, 15—19. Quae rursus licet ampliare omnibus illis, quae Tzetza adhibuit ex Epicureorum doctrina et Stoicorum etymologia. Produnt hominem, ut saepius animadvertimus, ipsius verba p. 75, 7: *ἐν τῇ λεπτολογίᾳ δὲ τῶν ἐπῶν σαφέστερον εἴποιμι.* Ceterum e re erit nonnulla ex Tzetzianis conferre cum Proclianis ad versus duos qui sequuntur (p. 75, 29—76, 20, 26—33). Advertas etiam Procli scholia ad v. 50—53 (p. 77, 1—7, 30—p. 78, 5, 15—22), e quibus intelleges eum huiuscemodi res fusissime tractavisse. Quae porro de nomine Iapeti Tzetza, maximeque quae (p. 81) de interpretatione physica, pragmatica, psychica nominis Promethei habet, ea Proclo adscribere non tantum per argumenti naturam cogimur, sed etiam ipsius Procli scholia ad v. 56—59 p. 82, 7—16, 23—24 in comparationem vocata, quin etiam Tzetzae prima verba (p. 80, 27), quibus vehementissime invehitur in Proclum, argumento nobis sunt Procliana esse haec omnia. — Ad v. 59 p. 82, 23—24 perexiguum scholium habemus Procli, praeter opinionem et apud Tzetzam plurima sunt de risu sardonico, et similia etiam apud Moschopulum, quem supra vidimus nunquam e Tzetzianis pendere. Communis auctor quis fuerit, vix potest dubium esse. Accedit, quod Eustathius, qui bis (ad Iliad. p. 1330, 7 et p. 656, 34) hanc sententiam commemoravit, tertio quodam loco Tzetziana repetivit omnia (ad Odysseam II p. 238, 26—46), nova multa attulit, opiniones diversorum exposuit. — Praeter illa, quae Procli sub nomine traduntur ad v. 60 p. 84, 7—22, sunt eiusdem sine dubio, quae Tzetza *ἀλληγορικῶς* p. 84, 25—85, 4 proposuit. Contra eius doctrinam minime sapiunt, quae eius sub nomine extant de declinatione vocis *ὕδος* p. 84, 18—22. — Versus 61—64 explicavit Proclus ampliore commentario, unde per excerpta quattuor scholia sunt tradita p. 86, 13—14, 87, 5—12, 24—27, 28—p. 88, 2. Eisdem Moschopulus p. 87, 1—4 nititur. Sed Tzetza interpres philosophus qualis sit, hoc loco, ubi in eius oppella acquiescendum est, iuvat ostendere. Qui in versu 62 vocabula *ἀθανάταις δὲ θεαῖς* amplexus sententiam Epicureorum male ab ipso intellectam ita explicavit: *ἤγουν τοῖς θηλικῶς λεγομένοις*

στοιχείοις. — Porro in versu 65 interpretando exspectamus plura apud Proclum de voce *πόθος*: ille tamen neque in huius loci scholio p. 88, 9—16 neque in scholio ad v. 69 in p. 89, 17—21 de hac re quicquam. Contra Moschopulus praeter morem in philosophicis disputationibus versatur, p. 89, 3—12. Unde haec exscripserit, nemo dubitabit. Res conficitur testimonio Etym. Magni p. 457, 7, cuius quae sunt, omnia huc pertinere elucet ex lectionibus codicis Vossiani, qui cum Moschopulo consentit in afferendo Platonis loco (Cratyl. 419e). Sed est monendum sub finem capitis promittere auctorem Etymologici disputaturum se vel disputavisse iam de differentia, quae intersit inter vocabula *ὀργή*, *μῆνις*, *κότος*, *χόλος*, *θυμός*. Haec vel his simillima apud Proclum fuisse licet ex quibusdam scholiis colligere; cf. Moschop. ad ipsum versum et p. 98, 1—10. Memorabile tamen est, quod relegat ille ad aliud, ita: *ζήτει εἰς τὰς Διαφοράς*. Quae verba saepius in simili argumento apud Etymologum inveniuntur. Fuit igitur liber de distinctionibus homonymorum et synonymorum, *Διαφοραί* inscriptus, unde in pleniora exemplaria Etymologicorum passim nonnulla recepta sunt. Ad versum 69 Procli disputationes in hoc libro erant exscriptae: casu enim exstat illius fragmentum in pleniore excerpto Etym. Gudiani p. 266, 56. Procli esse verba vel ex initio Moschopulei scholii apparet. Veteris autem interpretis doctrina de eadem re aliunde hausta et grammatice potius quam philosophice exposita conservata est ab Eustathio ad Iliadem I p. 8, 20—33, ubi rursus indicio sunt prima Eustathii verba. Eximenda autem sunt e scholio Procliano, quae p. 88, 14—16 de significatu *γυιοκόρους* exstant: grammatico veteri haec vindicant ipsius, quae statim sub *ἄλλως* sequuntur, inter quae aegre desiderabimus quod hic legitur, si modo cum Etymologicis ista comparaverimus. Neque est omnino in hoc genere quaestionis Procli laus. — Pergentibus nobis, quae apud veterem grammaticum invenimus de nomine Mercurii eiusque cognominibus, ab his multum differre apparet illa a Tzetza servata p. 92, 1—3. Quae eius propria non esse cum vel ex similitudine Moschopuleae doctrinae veri sit simile p. 92, 9—19, Proclo tribuimus propter vestigia Stoicae etymologiae. Eadem est res in eis, quae pertinent ad v. 73—76. Satis exiles

restant reliquiae p. 94, 22—24, 25—p. 95, 4, sed multo plura servavit Tzetza p. 95, apud quem vel Platonis memoria[1]) indicat Neoplatonicum auctorem. Dubitationem tamen movet, quod grammatice se gerit p. 95, 8—10, augentque dubitationem Etymologi[2]), quae post summum in primis verbis consensum mera grammatica exhibent et a Proclo prorsus aliena. Sed auxiliatur Eustathius. Is utramque explicationem integram exscripsit, ad Iliadem I p. 71—82, 18 Stallb., unde patet et in prima et in postrema[3]) parte nos tenere Procli scholia (p. 71, 1—19, 72, 5—18); media sunt grammatica, quae cui debeantur, quis interrogabit? Ceterum advertas, quantopere ea, quam nunc ad Procliana restituenda ingressi sumus viam, congrua sit cum ratione illa principali, ex qua syllogen scholiorum Hesiodeorum iudicandam esse demonstravimus. — Ad versus 77—83 tria sunt Procli scholia tradita p. 95, 21—96, 3, 4—7, 14—21. Quae licet explere omnibus, quae apud Moschopulum p. 98, 1—10 servantur de distinctione philosophice definienda, quae sit inter vocabula *δόλος*, *πλάνη*, *ἀπάτη*. Iam vidimus a Proclo talia non raro esse tractata. Ex eodem fonte fluxerunt explicationes vocis *Πανδώρη* in Etym. Magno p. 650, 39, Gudiano p. 451, 3, quorum tamen in illo perperam legitur post Procli verba *ὥς φησιν Ἡσίοδος*, in hoc recte scriptum est: *ἔστιν ὄνομα κύριον παρ' Ἡσιόδῳ*. — Ad v. 84 p. 98, 11—21 ipse Proclus comprobat rationem nostram, qua ducti a Tzetza aliisque allegoricum genus semper transtulimus ad illum. — Ad v. 85—90 tradita sunt quattuor Procli scholia p. 99, 5—11, 12—100, 3, 4—9, 16—21, inter haec nonnulla ab eo aliena. Inprimis, quae de interpunctione traduntur in v. 85 p. 99, 10—11, nullo modo in Procli commentarium quadrant. Nec magis sunt Procli, quae in scholio exhibentur ad v. 89 p. 100, 4—9: *φησὶν* (quis?), *ὅτι Προμηθεὺς τὸν τῶν κακῶν πίθον παρὰ τῶν Σατύρων λαβὼν καὶ παραθέμενος τῷ Ἐπιμηθεῖ παρήγγειλε κτλ.* Cum Hesiodus haec non dixerit, ante vocabulum

1) Cf. Cratylum p. 406 d. e, 407 a.

2) Etym. Magnum p. 24, 43, Gudianum p. 12.

3) Neque enim dubito, quin postrema non hausta sint ex scholiis ad A 200: sunt enim, quae illo loco non inveniantur, et statim sunt eis adiuncta, quae sine dubio e scholiis Hesiodeis fluxerunt.

φησίν aliquid excidit, ut iam Schoemannus[1]) recte perspexit, neque dubitari potest, cuius nomen sit restituendum, cum ad v. 135 p. 135 haec legantur: *ἔτ' ἄλλο τέταρτον τὸ ἐκ Πανδώρας γένος, ἥτις ἦν κατὰ Αἰσχύλον τοῦ πηλοπλάστου σπέρματος θνητὴ γυνή κτλ.* Veri enim est simillimum eundem esse auctorem, quem supra desideramus, praesertim cum constet inter viros doctos ab Aeschylo satyricum quoddam drama Promethei nomine inscriptum compositum esse. Iam, cum mox adsit illud *ἄλλως*, cumque locum de mythopoeia Aeschyli excipiat comparatio quaedam, qualis ab ingenio Procli est aliena, non cunctabimur hoc quoque scholium veteri tribuere interpreti. Nihil contra hanc sententiam valet vox Tzetzae Proclo haec adiudicantis p. 102, 22: vidimus enim supra, quis et qualis fuerit Proclus Tzetzianus. Addamus potius ne postrema quidem verba scholii (ad v. 90) p. 100, 21 Procli esse, ut quae contineant doctrinae Alexandrinae vestigia. Neque usquam in comparando dicendi genere Homeri et Hesiodi versatus est Proclus. Etiam haec veteri interpreti sunt tribuenda. — Ad v. 94—106 tradita sunt nonnulla scholia Procli sub nomine p. 101, 25—102, 7, 103, 3—9, 105, 9—18, 21—25, 26—28, 106, 14—25, quae et ipsa partim explere, partim diminuere oportet. Statim, quae ad v. 97 p. 103, 3—8 traduntur, certe non sunt habenda Procli, qui non soleat proponere varias grammaticorum sententias. Contra Procli sunt, quae nunc perperam ab eo dividuntur per *ἄλλως* p. 107, 1—3, 6—8 ad v. 108. Nam quae ibi leguntur: *ἀλαζονικὸς δὲ ὁ στίχος ἐστίν, ἀλλὰ τούτοις πρὸς ἀρετὴν προτρέπεται· εἰ γὰρ συγγενεῖς ἐσμεν τοῖς θεοῖς κτλ.*, et paulo post: *καὶ τοῦτο δὲ μετὰ τῆς ἐπ' ἀρετὴν προτροπῆς*, concinunt prorsus cum Proclianis p. 106, 18, ubi ipsum sane audimus, conf. similia p. 4, 11. Profecto nihil tenemus, nisi varia excerpta eiusdem commentarii. Proclo denique sunt addenda, quae Tzetza servavit p. 110, 24—26, de mundo ex atomis conformato. Causam repetere longum est. Deinceps sunt scholia ad v. 109—112 tria p. 110, 31—111, 10, 112, 15—113, 3, 114, 7—11. De pri-

1) De vet. critic. notis etc. Opusc. Acad. III l. l. et „De Pandora" Opusc. Acad. II p. 281.

stina copia, quae fuit in altero, testantur, qui Proclum exscripserunt. Proximus est Tzetza p. 113, 4—23. Eadem fere exhibet, nonnulla tamen plura, velut de Empedocle, conservavit. Ne quis credat, haec eum e Platone[1]) hausisse, obstant Etymologica, in quibus ad verbum fere exscriptus erat Proclus[2]), Etym. Magno p. 540, 5, Gudiano p. 586, 20. Quae apud Eustathium similia traduntur (ad Il. p. 230, 10—20), e Proclianis manifesto non sunt, neque tamen cum probabilitate veteri interpreti tradenda; ergo relinquamus.

Sequuntur scholia ad v. 113—122 p. 115, 9—17[3]), 116, 3—7, 19—24, 117, 11—14, 15—19, 20—21, 118, 24—119, 5, 11—20, 120, 11—13, e quibus scholium ad v. 116 p. 116, 3—7 veteri grammatico est adiudicandum, quia totum est in arte grammatica. Non cadit idem in prima verba scholii ad v. 118 p. 177, 15—16, in quibus disputatur grammaticorum more de usu verborum *ἥσυχοι* et *ἐθελημοί*, quae tamen librarii cuiusdam indocti esse infra videbimus. A Procli ingenio quantum haec distent, indicio sunt ipsa illa philosophica, quae in codicibus uno quasi tenore statim adduntur. Sed in scholio ad v. 121 p. 119 non adsunt omnia, quae ille scripserat. Hoc vel inde concludas, quod truncata est citatio Platonis (Legg. IV 113). Tzetzianae vero etymologiae, secundum Orphicorum artem factae, quin Proclo debeantur omnes (p. 119, 24—120, 5) nemo dubitabit. — Ad v. 125 sq. tenuissima superest memoria Procli: licet tamen pleniora recuperare. Ipse enim exhibet in commentariis, quos scripsit ad Platonis Rem publicam[4]), excerpta commentarii Hesiodei: exemplum supra dedimus p. 21. In codicibus Hesiodeis huc pertinent tantummodo, quae sunt ad v. 125—126 p. 121, 1—8, 18—30 et admodum decurtata quaedam ex reliquis: nam quae haec excipiunt, sunt procul dubio

1) Cf. Cratylum p. 396, 398.

2) Quae praeterea videntur e scholio ad Theog. v. 459 petita, fortasse et ipsa inerant in Procli comm. ad Opera. Dubia tamen res. Cf. H. Flachium „Glossen und Schol. zur hesiod. Theog." p. 61 sqq. Nimis sicco pede transiluit Flachius p. 31 illud in Etymologico: *Φώτιος ὁ πατριάρχης* vel *οὕτως Φώτιος ὁ πατριάρχης*.

3) Conferas cum his fr. 42 in Orphicis Hermanni et Platonis Politicum p. 270.

4) Anecd. var. gr. et lat. edid. Schoell et Studemund II p. 38, 5—40, 10.

per ἄλλως notanda, usque ad p. 122, 5, non tantum propter grammaticam explicandi rationem, sed etiam quia afferuntur Ἔργα μεγάλα Hesiodea, quorum in tanta commentarii Platonici verbositate ne verbo quidem mentio est facta. Scilicet, quia haec Proclus ignorabat. — Non minus exigua sunt, quae leguntur ad v. 129 p. 123, 1—8, 9—13. Vel comparatis ipsis inter se his scholiis intelleges fontem communem fuisse pleniorem. Rursus parum multa adsunt Platonica.[1]) — Alia duo sunt tradita scholia ad v. 130—132 p. 124, 14—16, 23—125, 2, e quibus huius quae sunt in fine (p. 125, 1—2) nulla omnino probabilitate Proclo attribuuntur: sunt enim et contraria Proclianis, quae praecedunt, et ad verbum fere similia scholio veteris interpretis (p. 125). Huic tribuas. — Augere rursus licet, quae ad v. 133—143 adscripta sunt, p. 125, 17—23, 126, 26—127, 5, 128, 7—25. Suppeditat sua Tzetza p. 126, 7—17, cuius propria non subesse docent et ratio philosopha et laudati versus Euripidei, qui alieni sunt a Tzetzae lectione, qui profecto se continebat in eis fabulis, quae erant πραττόμεναι; adest insuper solita eius in Proclum arrogantia: τὰ δὲ περὶ τῶν μυθικῶν θεῶν ὅτι οὐκ ἔθνον θεοῖς, ἐῶ λέγειν, ὡς προχείρως καὶ βρέφεσιν εὔληπτα. Omnia igitur apud Proclum quondam fuisse verisimile est. In ipsa Tzetzae contra Proclum disputatione et propter eam, quam exhibet, significationem vocis μελιᾶν et propter Nympharum catalogum omnia Proclo tribuere nolo. Malo exiguum illud scholium p. 129, 21—23 veteri interpreti attribuere, a quo illa sententia a Proclo abiecta commendetur. — Quae ad v. 145—160 sunt tradita scholia p. 131, 1—3, 133, 4—134, 3, 135, 1—10, 136, 21—137, 21, 139, 1—5, eis fortasse addenda sunt illa, quae nunc per ἄλλως distinguuntur p. 135, 20—28: sunt enim fere eadem atque illa, quae Proclus ipse habet. Contra ab his resecanda sunt et veteri grammatico tribuenda omnia illa de athetesi „quorundam“. Nam de eiusmodi rebus nunquam invenimus Proclum aliter disputantem, nisi Plutarcho auctore, nec est, cur pleniora olim haec fuisse suspiceris. Quamquam videtur quaedam Proclus habuisse de v. 159, quae iam non legimus in eius scholiis.

1) Leges III p. 649 a—e, 695 d sq.

Nonnulla et quidem plane philosophica servavit Tzetza p. 138, 16—22. Plura habet idem de etymis vocabuli ἥρως (etiamsi gravissima quaeque iam in Procli scholiis servantur) nec desunt solitae invectivae (p. 138, 1): ληροῦσι γὰρ ὅτι οἱ θεοὶ κτλ., et p. 137, 21—138, 15 Procli esse sua ipse declaravit. Denique non dubito, quin Proclus etiam illam significationem, quam Plato protulit in Cratylo p. 398 d, hoc loco apposuerit, cum permultis locis constet ab eo hunc dialogum saepissime adhibitum esse. Contra quae in Etymologicis[1]) et apud Eustathium[2]) leguntur, ea quamvis multis in rebus consentiant, tamen non fluxerunt ex hoc fonte, quippe quae in summo consensu nonnulla tamen praebeant, quae ab hac doctrina prorsus sunt aliena. Ex. gr. quae perperam in Etym. Gudiano p. 248, 56 de Platonis sententia traduntur, ea Proclus scribere non potuit. Vel quem illi mirum in modum ex Hesiodo apponunt versum, eum ad heroës non pertinere ex eo quidem, qui exstat, contextu manifestum est: ergo tota disputatio ex Hesiodeo commentario non manavit. Nec iuvamur mutato nomine Hesiodi in nomen cuiuslibet grammatici: manet enim, qui appositus est, versus Hesiodeus. Haec est causa, cur Aristonici nomen ex Etym. Gudiano p. 248, 58 in scholia transferendum esse negem, licet ille auctor cuiusdam sententiae appelletur, quae etiam in scholiis occurrit. Sed fortasse fons fuit in quodam pleniore scholio Homerico ad A 3 adscripto, ubi idem est error in laudando Hesiodo. Quare in medio relinquenda est res. — Multo certius puto affirmari ad v. 161 et 168 praeter illa in p. 140, 9—12, 141, 11—12, 16—18 etiam ea Proclo esse adiudicanda, quae per ἄλλως grammatico veteri vindicantur p. 140, 12—141, 3, 19—21. Neque enim solum ita consentiunt, ut eiusdem auctoris videantur, verum etiam facili transitu posteriora priora excipiunt. Praeterea eadem apud Tzetzam quoque inveniuntur, p. 139 fin., et quidem coniunctim. — Eodem modo quae Proclus habet ad v. 169 p. 142, 4—16, eis sunt addenda, quaecumque apud Tzetzam leguntur p. 142, 20—144, 5, ut Philostratea (cf. Vit. Ap. 5, 3), illa de Caesare,

1) Etym. Magnum p. 437, 33, Gudianum p. 248, 65, 249.

2) ad Iliadem p. 17, 23.

denique, quae de sexto quod existimatur genere in Hesiodeis sunt prorsus congrua cum Proclianis in commentario ad Platonis Rem publicam (p. 38, 17 Schoell). Insuper cum his consentiunt etiam illa, quae ipsius sub nomine servantur ad v. 174 p. 144, 17—27. — Contraria est res ad v. 179 p. 145, 18—22. Quae ibi legis quaeque sunt pleniora apud Moschopulum, ita distant ab universa ratione Procliana, ut nullo modo Proclo possim ea tribuere. Sunt potius veteris interpretis, cuius scholium ad v. 180 p. 146 eandem sententiam, Proclo contrariam, exhibet. Nec minus mihi persuasi abiudicanda esse a Proclo ex eis, quae statim sequuntur p. 146, 19—147, 2, quaecumque pertinent ad significationem vocis *χειρόδικαι* verborumque *δίκην ἐν χερσὶν ἔχειν*, praesertim cum hoc loco afferantur Alexandrinorum signa, qua de re suo loco disputabitur. Eadem est causa, cur veteri interpreti tribuam etiam illa, quae grammaticorum doctrina referta ut Procli servantur ad v. 187 p. 148, 18—21, quibus postea multa aliunde erunt addenda. — Contra pusillas reliquias Procli, quae nunc sunt ad v. 180 p. 146, 10—12, augere licet per ea, quae sine dubio ad verbum e Procli scholio pleniore exscripta (conferas p. 147, 14—15) nunc apud Moschopulum leguntur p. 247, 3—20, et quidem philosophici argumenti, quippe in quibus agatur de varia significatione vocis *ὅμοιος*. — Item augere licet, quae adscribuntur ad v. 188—195 p. 149, 2—11, 150, 1—5, 20—151, 2, 6—12. Tzetzam enim hic quoque prodit rarioris doctrinae iactantia. Unde autem habebat homo nisi ex Proclo, quae exhibet de Aristoxeno Musico? Cf. eundem p. 312, 15—313, 5. Accedit testimonium Etym. Gudiani p. 16, cuius cum copia pleniore confer Tzetzae verba: *καὶ ἵνα τὰ πολλὰ τούτου παρεάσω κτλ.*

Exstant porro Procli scholia ad v. 198—211 p. 153, 14—154, 6, 14—155, 5. Quae in posteriore scholio usque ad signum *ἄλλως* sequuntur, propter argumentum a Proclo abiudicare non dubito, neque me movet Tzetza p. 156, 15 et 157, 8 haec Procliana appellans. Sed genuina Procliana licet pleniora fuisse fingere propter ipsum Tzetzam p. 159, 14 et 159, 35—160, 2. — Excipit scholium ad v. 214 p. 160, 14—161, 4, in quod Tzetza bis (p. 161, 8, 11) inepte invehitur, et cui illa quoque addamus, quae in codice Vossiano Etymologici Magni (p. 43, 5 nota)

addito vocabulo scholii proponuntur. — Ad v. 216 habes scholium Procli p. 161, 16—20, ad v. 217 p. 162, 16—26, post quem versum Gaisfordio teste deficiunt Procli scholia in codice Dorvilliano. Hic quoque quae p. 163, 20—25 Tzetziana leguntur, Proclo attribuam. In sequentibus videtur ille, qui excerpsit Procli scholia, melius consuluisse hominis memoriae: p. 164, 19—31, 165, 6—16, 166, 6—22, 167, 4—11, 18—24. Quod in haec Tzetza vehementissime invehitur propter genus dicendi, immerito id est factum, quantum nobis quidem ex his reliquiis iudicare liceat: maiores quosdam spiritus postulabat ipsa loci natura et optime nimirum, si quis alius, Proclus hoc praestitit. Ceterum Tzetza ne hic quidem destitit adversarium suum exscribere: p. 167, 12. — Excipiunt Procliana ad v. 230 sqq. p. 169, 8—16, 25, 170, 8, 171, 32—172, 4. Postremum brevissimum est, sed sine dubio plenius olim, quippe in quo putaverim fuisse plura e Plutarcho sumpta, quae ad comparandum Homerum cum Hesiodo pertinerent, quae adeo exacerbarent Tzetzae animum, ut diutius in impugnando poeta occupatus (p. 172—176) plane immemor esset interpretandi. — Porro ad v. 240 (p. 176, 19—177, 1, 24—178, 11) fortasse etiam illa Proclus habebat, quae nunc exempla in Tzetzae scholiis leguntur. — Ad v. 248—274 scholia sunt p. 180, 10—29, 181, 18—27, 182, 13—21, 25—183, 4, 184, 1—14, 15—21, 186, 1—17, 19—187, 5, 19—188, 6, 189, 22—190, 13. — Contra quae traduntur Procliana ad v. 276 p. 190, 25—191, 3, nequaquam sunt Procli: grammaticam artem sapiunt, Alexandrinae doctrinae quasdam reliquias pretiosissimas conservaverunt. — Rursus adest Proclus ad v. 280 p. 192, 34—193, 4: addenda sunt, quae nunc apud Tzetzam leguntur p. 193, 15: haec enim iam Plutarchum novisse veri est simile. — Post Procliana ad v. 282 sqq. p. 194, 13—17, 195, 11—26, 196, 18—197, 2, 7—27, 198, 29—200, 4, 10—205, 11 iterum sub eius nomine traduntur grammatica ad v. 302 p. 203, 26—27, quae ipsa quoque nemo dubitabit veteri grammatico addere. Idem fortasse licet affimare de eis, quae pauca haec excipiunt usque ad signum ἄλλως. — Neque ad v. 308 adscripta p. 206, 1—20 omnia sunt Proclo assignanda. Ille enim, ut ex priore parte scholii elucet, multa suo more de hoc versu philosophatus est, cuius rei argumento est vel

Platonis nomen (in ipso commentario veri est simile eum plura ex Charm. p. 163b apposuisse). At quae sequuntur inde a v. 10, non differunt ab eis, quae statim sub *ἄλλως* adduntur et quidem pleniora. Ergo veteris interpretis sunt. Contra Proclo sunt vindicanda ad v. 311, quaecumque nunc apud Eustathium ad Iliadem I 203, 3—8 Stallb. inveniuntur, quaeque manifesto produnt originem suam. Sunt e Plutarchi commentario per Proclum excerpta. Simili modo non paucis augetur exile illud scholium ad v. 313, p. 207, 32—208, 8: verba enim, quae sequuntur, immerito signo veteris interpretis disiunguntur ab illis, quibuscum eandem doctrinam sapiunt, et sunt insuper manifesta vestigia disciplinae Platonicae. Nova quaedam accedunt ex Etym. Magni codice Vossiano p. 20, 53 not. Tzetzam vero, ut qui virtutum illa varia genera et quae sunt his similia, nullo ordine et ratione proferret, facile tibi persuadebis omnia haec non de suo dedisse, sed e fonte quodam satis turbato et ipso. — Idem Tzetza, quod ad v. 314, p. 209, 3—15 exstat Proclianum, ad verbum fere exscripsit. Ad v. 315 sqq. nonnulla habemus p. 210, 8—26, 33 — p. 211, 5 et 6—7, 213, 9—19, 214, 1—15, 16—20, 215, 14—26, 216, 12—217, 2. Postremo scholio addenda sunt, ni fallor, etiam quae sunt in Etym. Magno p. 5, 16, sine dubio, quae legis Tzetziana p. 218, 28. — Iam p. 218, 16—219, 27 praeter solitum morem largus fuit Procli excerptor: hic aliquo modo noscere licet hominis indolem. Tzetza quoque ei permulta debet. Ex eius enim verbis (p. 221) restituendum est Proclo, quae Plutarchus Proclo, Proclus Tzetzae suppeditavit de Melanthio poeta tragico. — Satis amplum est et ipsum, quod conservatur ad v. 342 scholium p. 222, 1—29. Ex eo vero, quod sequitur p. 223, 14—224, 10, releganda sunt in veteris grammatici reliquias non pauca (p. 223, 22—224, 10), quia huius potius explicandi morem proprium exhibent, veluti cum comparentur Homerica quaedam cum Hesiodeis. Priora tamen et longe differunt et genuina sunt Procliana, quae exscripserunt etiam Tzetza et Moschopulus (p. 224). Duo quae sequuntur scholia (p. 224, 26—225, 11 et p. 226, 13—18), quondam coniuncta fuisse argumento est error Tzetzae p. 225, 20, qui Themistoclis et Catonis exemplum contaminavit: nam quod utrumque ut Plutarcheum tradidit, non potuit id facere, si fuissent disiuncta

scholia. — Ad v. 349 Proclus loquitur p. 226, 24—227, 5. His tamen ne quis addiderit Tzetziana p. 227 de differentiis vocabulorum μετρεῖν, σταθμᾶν, ἀριθμεῖν, neque philosophica et omnino viliora, quam ut Proclo tribuas. Sunt potius Tzetzae propria: ita ille ingenii vim ostendit, cum quaedam exemplo excitatus Procli sine eius auxilio tractare coeperit. — Porro tenes Proclum ad v. 352 sqq., p. 228, 1—6, 13—18. Tzetzam si hoc loco contuleris, qui Plutarchi rationem omnino non intellexit, intelleges ab eo aliud quoddam Proclianum scholium nobis non servatum lectum esse. Sequuntur illa e p. 229, 3—10, 18—26. Scholium vero, quod est traditum ad v. 356, p. 229, 26—230, 6, multum abest, ut sit integrum. Primum enim ex scholio ad v. 353, p. 228 huc pertinent nonnulla; deinde quae in scholiis Monacensibus ad v. 370 adsunt (cf. Usenerum l. l. 594) et in vulgatis scholiorum collectionibus versui 356 adiunguntur p. 230, 8 nullo artiore vinculo, nemo dubitaverit, quin hic re vera suum locum habeant. Accedit, quod, cum unum versum Proclus laudaverit, ita pergit p. 230, 7: τούτους δέ τινες τοὺς στίχους ἐξέβαλον, ὁ δὲ Πλούταρχος ἐγκρίνει κτἑ.; et requirit plures versus ipsa argumentatio. Itaque hoc loco multa desiderantur, quae tamen aliunde explere iam non licet. Tacent reliqui scholiastae, nihil apud alios scriptores invenitur.

Sequuntur, quae adscripta sunt ad v. 361 sqq. p. 232, 1—14, 19—27, 233, 1—5, 11—17, 26—234, 7. Postremo scholio procul dubio debet omnia sua Tzetza p. 234, 15—235, 4, qui cum nonnulla plura servaverit, non est dubium, quin scholium plenius legerit. Sed ad eundem fontem revocanda sunt, quae allegoricam explicationem continent (apud Tzetzam p. 235, 12—17), quae etiamsi Tzetza ad verbum exscripsit e scholio p. 234, 8—14 immerito per ἄλλως notato, re vera esse Procli docent vel prima ex usu protreptico posita verba. Contra Procli non sunt, quae tradita sunt ad v. 373, p. 235, 26—236, 11 et ad v. 375, p. 237, 5—8 exceptis verbis primis: nam in reliquis e grammaticorum potius more de vocabulis disputatur, cum Proclus ipse, id quod intellegis ex eius scholio ad v. 376, p. 237, 12—22, in rebus prorsus dissimilibus versatus sit. — Procliana vero ad v. 376 adscripta

sine ulla dubitatione augeo Tzetzianis omnibus, quoniam ipse primis statim verbis ostendit plura se apud Proclum legisse. Quin etiam secus ac promisit fabulam Aesopi exscripsit (p. 238, 10—14). Quod idem valet de Moschopulo. — Excipiunt duo Procliana ad v. 380 sqq., p. 239, 26—240, 3, 10—20. In sequentibus quae ad v. 383—392 servantur, maxima ex parte iure optimo Proclo attribuuntur, scholia dico, quae leguntur p. 240, 27—242, 3, 244, 5—14, 252, 17—26, 253, 5—12, 254, 11—26. Contra iniuria prae se fert eius nomen scholium p. 245, 12—30, cuius fontem ducas ex scholiis ad Iliadem Σ 486 et quidem minoribus, quae vocantur, sive quibusdam his similibus, (cf. Eust. ad locum), quibus Proclum ipsum nunquam usum esse infra gravissimis argumentis me demonstraturum esse spero. Neque tamen dubito, quin Tzetza sua fere omnia p. 246—252 Proclo debeat, quoniam exhibet, quae facili negotio inveniri minime potuerint. Accedit, quod quae verba legis p. 246, 1, ea invenimus saepius, ubi maiorem partem e Proclo exscripturus fuit. Praeterea auget suspicionem Hesiodi laudatus de astris liber, quem Tzetza an legerit, valde dubitandum est. Conficiunt rem apposita quaedam a Tzetza ut Procliana (p. 248, 14), quae nos in Procli scholiis desideramus, quaeque excipit solita illa cavillatio. Contra quae de eodem argumento apud Eustathium leguntur (ad Iliadem p. 1155, 40), non est dubium, quin pertineant ad scholia Homerica. De Etymologicis erit suo loco videndum: e Proclo illa quidem non pendent. — In sequentibus magis magisque deficiunt indicia, quibus usi alios fontes ad Procli scholia restituenda adhibeamus: versamur enim quasi in penetralibus Hesiodei carminis desinuntque singula vocabula idonea esse, quae ab aliis in usum quasi publicum inde promantur ac explicentur. Sed exstant Procliana ad versus 392 sqq. p. 255, 10—13, 19—256, 7, 21—22, 25—26, 257, 4—6 (postrema melius servavit Moschopulus p. 257), 257, 26—258, 6, 259, 6—11, 30—260, 6, 13—28, 261, 18—20. Ex his, quod ultimo loco est scholium, et pars posterior scholii ad v. 408 p. 260, 1—6 sine dubio sunt veteri grammatico attribuenda; distant enim toto coelo ab arte Procli. — Transeamus ad Procliana ad v. 413 sqq., p. 261, 30—263, 24. Est hoc scholium ex illis, quibus discamus,

quam accurate disputaverit Proclus. Sed vel hic multa desiderantur. Hoc firmatur Tzetzae scholio, quod est ad eundem versum p. 263, 25—265, 2, cuius pars prior excerpta est ex eis Proclianis, quae aetatem tulerunt, cum in altera inveniantur, quae nunc apud Proclum non legimus. Ipse Tzetza originem prodit, cum miserrime erraverit in ea explicatione, quam integram habes in Plutarchi vita Alexandri (cap. 4): ergo ex ipso Plutarcho non hausit, sed ex male habitis iam Proclianis. Similis erat res ad v. 346, p. 225, 20, nisi forte ibi Tzetzae potius videbitur error esse quam excerptoris. Ceterum sicuti illa supplenda sunt in Procli scholio, ita Tzetziana quoque p. 270, 12—17, quae omnia Procli sunt sine dubio una cum sequentibus et praecedentibus.

Ad v. 423 sqq. Proclum audis p. 272, 15—273, 20, 275, 3—6, 27—276, 8. Sed postremum eius non est: conferas modo cum illis multo plenioribus p. 276, 9—277, 6, quae iure Procli nomine signantur; statim elucebit unius hominis explicationem utramque non esse. — Ad v. 430 loquitur Proclus p. 277, 31—278, 11. Quae cum his aliquatenus conspirantia in Etymologicis insunt, ea vindico potius veteri grammatico, quoniam in lectionis varietate indicanda Proclus non solet versari. — Ipsius tamen rursus adsunt ad v. 436 sqq. scholia p. 279, 7—11, 24—27, 280, 3—12 (cf. infra p. 90), 281, 6—10, 282, 19—27, ad v. 448 sqq. p. 283, 7—17, 284, 34—285, 8, 286, 1—13, 287, 6—9, 17—19, 28—30 (nisi hoc est mutilum), 31—288, 2, 8—30, 290, 8—291, 2. Contra quod nunc traditur eius sub nomine scholium ad v. 469, p. 292, 11—21, nemo, opinor, ei attribuet: vel prima verba grammaticam redolent et diversa sunt a Proclianis p. 290, 25 neque non a reliqua eius in hunc versum adnotatione p. 292, 22—293, 2. — Sequuntur quae legimus p. 293, 17—33, quorum immerito pars per *ἄλλως* veteri vindicatur interpreti: subest potius duplex excerptum eiusdem disputationis. Porro sunt Procliana p. 294, 14—25. Quae excipiunt de vocabulo *εὐοχθέων*, veteris sunt interpretis: congruunt enim ad verbum cum scholio p. 295, 6—12, quod etiamsi Procli sub nomine fertur, veteris grammatici esse neminem, opinor, fugiet. Postea explebimus ex aliis fontibus. Procli sunt alia p. 295, 26—296, 18, modo augeas opera Tzetzae

(ibid.), qui tantum non nominatim se Proclo omnia debere confessus est dicens v. 28: *ἕτεροι δέ τινες, οἵτινές εἰσιν οἱ φιλόσοφοι, θέλοντες λαβρηγορεῖν καὶ κομπάζειν κἂν τοῖς μαθήμασι οἷς οὐχ ὡμίλησαν, τὰ παρὰ τοῖς ἀστρολόγοις κτέ.* Ceterum indidem vel illa astronomica, quae sunt ad v. 383 sqq., iure nos supra (p. 67) e Tzetza ad Proclum transtulisse patet. — Excipiunt Procliana ad v. 480 sqq., p. 298, 5—8, 299, 31—300, 6, 14—32, 302, 6—11, 15—31, 305, 16—306, 6, 23—28, 307, 10—21. De eo, quod est ultimo loco, potuerit quis dubitare, an idem sit atque illud, e quo hauserint Tzetza, auctores Etymologicorum, alii. Non est tamen Procli scholium, sed veteris interpretis manifesto ab omnibus his exscriptum, veteris genuinum se comprobans maxime ea re, quod eius auctor contra Procli sive mavis Plutarchi sententiam mensem Lenaeona Boeotis attribuit. In quibus secum ipse pugnare non potuit Proclus. — Sequitur scholium ad v. 507, p. 310, 22—311, 6, cui sine dubio addendum est illud quoque, quod nunc disiunctum ab hoc legitur p. 313, 31—34, cuius est eadem sententia, quodque exscripserunt auctor Etym. Magni p. 769, 55 et Zonaras p. 1741. Sed cum in eodem scholio satis multa dicta sint etiam de v. 508, neque differant ea, quae ad hunc versum p. 311, 11—19 Proclo et veteri interpreti attribuantur, cumque, id quod gravissimum est, qui haec praeter alios accurate exscripsit, auctor Etym. Magni quaedam his pleniora habeat et quidem mere grammatica, non potest dubium esse, quin ea quoque, quae Procli sub nomine feruntur, adiudicanda sint veteri interpreti. — Quae adscribuntur ad v. 512 sqq. p. 312, 6—13, non sunt omnia Procliana. Priora enim (v. 6—11) apud alios reperiuntur pleniora, et quidem ita aucta, ut procul dubio sit, quin pertineant ad veterem grammaticum. Procli potius sunt illa, in quibus Aristoteles laudatur. Rursus quod traditum est ad v. 518, p. 313, 31—34 (quod auctor Etym. Magni exscripsit), id Procli non est: statim in initio versamur in doctis Alexandrinorum Hesiodeis curis. Haec tamen excipiunt genuina Procli scholia p. 314, 3—9, 315, 5—316, 9. Quamquam etiam ex his non pauca resecabis. Primum illa grammatica, quae sunt de vocabulo *τένδει* p. 315, 8—11, quod scholium infra revocabo ad officinam veteris interpretis, tum illa p. 316, 3—9

de polypode, de quibus iam monui supra p. 44. Nec statuerit, opinor, quisquam, quod hoc loco erratum est in Aristotelis testimonio afferendo, eum errorem ad Proclum potius convenire quam ad veterem interpretem. — Sequuntur Procliana ad versus 527 sqq. p. 317, 16—25, 27—31, 318, 17—25. Sed ne hic quidem ultima ego Proclo possum omnia assignare: quae enim (21—25) pertinent ad Cratetis variam lectionem, a Procli ingenio prorsus abhorrent. Anceps erit iudicium etiam de scholio p. 319, 24—32; ego rem diiudicare non ausim. Abest suspicio a scholio ad v. 536, p. 320, 15—28. Contra, quae spectant ad v. 538, p. 321, 25—26, perperam Procli no mine signantur: totus est eius auctor in grammaticis rebus de monstrabimusque infra vestigium doctrinae Alexandrinae.

Ad v. 541 sqq. Procli sunt p. 322, 24—32, 323, 33—324, 8 18—28, 325, 10—16, 326, 5—21[1]), 327, 34—328, 3, 27—329, 3 Quae in postremo scholio accedunt, notanda sunt signo ἄλλως, id quod elucet cum ex scholii ipsius natura tum ex plenioribus illis, quae servata sunt in Etymologicis. Progrediendum est inde ad vera Procliana p. 329, 24—26, 29—330, 4, 14—22. In postremis tertia adest comprobatio sententiae nostrae (cf. supra p. 69), qua ducti omnia illa astronomica apud Tzetzam (ad v. 383) Proclo adscripsimus. — Cum Proclianis, quae sequuntur p. 331, 26—28, coniungas, quae habet p. 332, 2 Tzetza, qui p. 332, 28 suo more tecte ac subdole in Proclum invehitur. Quae excipiunt, ipsa quoque sunt Procli omnia, etiamsi eius sub nomine leguntur tantum illa p. 332, 29—333, 7. Etenim quae statim sequuntur cum veteris grammatici signo p. 333, 8—334, 5, usque eo sunt Procliana, ut nemo huic restituere dubitaverit, neque his illa non adiunxerit, quae Tzetza p. 334, 7 in quibusdam pleniora exhibet. Sed in medio scholio corruptela est gravissima. Traditum enim est p. 333: *Πλάτων δὲ οὐδὲν ζῷον λυπούμενον ᾄδειν φησίν, οὐδὲ αὐτὴν τὴν χελιδόνα καὶ τὴν ἀηδόνα καὶ τὸν ἔποπα. τί οὖν ἔδει αὐτὴν καλεῖν ὀρθογόην; εἰ μὴ ἄρα ὀρθοβόην γραπτέον ὥς τινες. ἄλλως. ὀρθρογόη· ἡ ὑπὸ τὸν ὄρθρον θρηνοῦσα. Πανδίων Ἀθηναῖος δύο ἔχων θυγα-*

1) Reliqua, quae sequuntur, recte dividuntur per ἄλλως, quod tamen signum regnare iubeo usque ad v. 28.

τέρας κτέ. Aliquid simile etiam Tzetza in suo exemplari legebat, qui sub finem invectivae suae orationis haec exposuit (p. 334): πῶς δὲ σὺ ὁ μὴ δεξάμενος θρηνεῖν τὸν χελιδόνα, Πανδίονος αὐτὴν ἐδείξω θυγατέρα; πῶς δὲ ὀρθοβόην βούλει γράφεσθαι ταύτην τὴν ὀλοημέρως βοῶσαν, ἐν ὄρθρῳ δὲ μᾶλλον οὔ; κτέ. Huic adde, qui scholium melius habitum novit, auctorem Etym. Gudiani p. 433, 8: ὀρθογοή· ἡ χελιδών, ἡ ὑπὸ τὸν ὄρθρον γεννῶσα, καὶ οὐκ ὀρθοβοὴν ὥς τινες. Hesiodeum commentarium fuisse eius fontem ita est apertum, ut taceam hac de re. Quod vero hic lectionem ὀρθογόην accipit ut unice veram, apparet hunc fontem Procli scholium non fuisse. Fuit ergo veteris interpretis. At neque apud illum nunc legitur varia illa lectio neque mansit in eius disputatione, quam Etymologici auctor exscripsit, ullum vestigium longioris illius de Philomela narrationis. Res est manifesta. Qui scholia, quibus et Tzetza usus est et utimur nos, composuit ex excerptis utriusque commentarii, is apud veterem interpretem invenit illam lectionem, qua recepta inter Procliana visus sibi est invenisse versui medelam. Hac interpolatione factum est, ut ex sequentibus temporum decursu excideret illud adversariorum iudicium: quibus enim visum est unum subesse scholium, eorum ex iudicio utraque sententia stare non potuit. Ita veteris interpretis iudicium in vulgatis scholiis periit. Sed una periit signum illud, per quod sequentia rursus Proclo attribuerentur, quae nunc immerito apud alterum interpretem permanserunt. Cf. infra p. 92.

Procli deinde sunt p. 335, 24—336, 19, 338, 13—22, 23—33, 339, 5—13, 340, 14—341, 3, 20—342, 1. Quae his accedunt p. 342, 1—10, 343, 11—20, sine dubio veteris sunt grammatici, de qua re supra fusius disputavimus p. 41. — Porro sunt Procli p. 345, 1—346, 25, licet multa per ἄλλως disiungantur, a quibus disiungi non possunt. Fortasse etiam illa exempla ex rerum gestarum memoria petita, quae Tzetza servavit p. 347, nota nobis iam via a Plutarcho ad Proclum, a Proclo ad Tzetzam venerunt.

Quod sequitur scholium ad v. 597, p. 348, 15—28, supplendum est multis Tzetzianis p. 349, 350, id quod ipsius Tzetzae verbis commendatur p. 349, 8: ὁ σοφὸς Πρόκλος . . τὰ . . ἐξηγή-

σεως χρήζοντα παρατρέχει(?)[1]), ὡς νῦν τῆς Ὠρίωνος ἀνατολήν· ἀλλ' ἡμεῖς.. τὴν μὲν μυθικὴν τοῦ Ὠρίωνος ἱστορίαν... παραδραμόντες, μαθηματικωτέρως οὖν διδάξομεν πλὴν σαφῶς τὴν τούτου ἐπιτολὴν μὴ μακρολογήσαντες, καίπερ τῆς ὑποθέσεως διδούσης μακρηγορεῖν. Ex his fit manifestum Tzetzam aliquando ea apud Proclum inveniri negare, quae postea exscripserit ipse. Eundem plura legisse elucet comparatis vulgatis scholiis. Excipiunt Procliana p. 350, 6—16, 351, 1—2, 22—23. Eadem servaverunt auctores Etym. Magni p. 429, 37 et Gudiani p. 244, 49. P. 351, 24—352, 2, 10—28 immerito per ἄλλως abalienantur a Proclo, quae sunt eius quam maxime propria, astronomica de Orione occidente et quae sunt huius generis alia, quae Tzetza et supra, id quod iam vidimus, et nunc p. 353 Moschopulusque p. 353 exscripserunt. — Procli est etiam p. 354, 9—17, 17—19, contra nequaquam scholium brevissimum ad v. 614, p. 354, 28—29, in quo insunt Alexandrinae doctrinae reliquiae. Sequuntur Procliana ad v. 614 p. 355, 1—13. Alia est ratio eorum, quae ad v. 617 adscribuntur p. 355, 32—356, 2. Repetuntur hic omnia, quae habet vetus interpres ad v. 383: ad hunc igitur transferas et illa. Contra sunt Procli p. 356, 3—22, 357, 16—19, 358, 21—23, 26—359, 3, 7. Quod sequitur scholium p. 359, 9—360, 3, rursus revocat a Diadocho Alexandrina doctrina.

Recte se habent vulgati codices attribuentes Proclo, quae sunt 360, 12—19, 24—25, 361, 5—362, 5, 23—26. Postrema duo fuisse quondam coniuncta cum scholio, quod nunc legitur p. 364, 5—9, argumento est praeter rem ipsam Trincavelliana editio, in qua ex nescio quo codice omnia haec coniunctim exhibentur. In eadem summo iure desunt, quae perperam Proclo adduntur p. 361, 29—362, 5, grammatica illa quidem et minime apte inter res historicas inculcata. Ex Proclianis, olim nimirum plenioribus, maximam partem suorum, nisi mavis omnia hausit Tzetza, cum describeret vitam Hesiodi ita, ut a primario fonte suo discederet. Sed in hac re longius progredi non puto huius esse loci.

Sequuntur Procliana p. 363, 5—11, 364, 3—4, (nisi haec

---

1) Conferas p. 348, 352 et quae hinc exscripsit Moschopulus p. 353.

potius veteri grammatico restituenda sunt), p. 364, 16—29, 366, 15—24, 367, 15—368, 11. Removi ex postremo, ut vides, primos duos versus, quippe in quibus mentio fiat signorum Alexandrinorum, eo minus Procliana, quo clarius apparet, quae statim affertur ab eo athetesis Plutarchea, eam contra hanc Alexandrinorum opinionem valere. Procli deinde sunt p. 368, 26—29, sub finem admodum corrupta ab illo excerptore. Cf. quae conscripsi de versibus 646—662 in comm. Wachsmuthianis p. 208. Mutila sunt item eius scholia p. 368, 30—369, 5. Excipiunt, quae procul sunt a suspicione, p. 369, 6—16, 371, 15—16, 372, 1—2, 26—31, 373, 1—20, 375, 6—9, 22—24, 376, 19—377, 3. De p. 376, 14—18 vide infra p. 94.

Ad v. 695 sqq. adest Proclus p. 377, 4—21. Hinc vel contrariam suam sententiam hausit Tzetza et Moschopulus fere omnia sua ad verbum exscripsit. Porro Procliana p. 379, 4—6, 380, 12—16, 18—381, 7, 21—22 idem exscripsit Moschopulus p. 379 sq., item Tzetza, sed multo liberius, p. 381. De vocabulo δειπνολόχη conferendus est etiam auctor Etym. Magni p. 262, 49 (cf. notam), Zonaras p. 479, fortasse Eustathius quoque ad Odysseam p. 1508, 1. Conferas eiusdem p. 1784, 25.

Excipiunt illa p. 381, 26—382, 7, quae ad verbum sua fecit Moschopulus, porro p. 382, 22—383, 20, quae olim certe coniuncta fuerunt cum sequentibus p. 384, 11—20 et 384, 21—29. Prius fere integrum exscripsit Moschopulus. Sequuntur Procliana p. 385, 19—386, 6, 17—27, ubi postremi quattuor versus immerito a ceteris duplici signo ἄλλως divelluntur: duplex subest recensio, manifesta ubique ars interpretandi Procliana.

Haec subsequuntur ipsius Procli p. 387, 32—388, 5, 18—25, 389, 3—17. Postrema exscripsit Tzetza (p. 389, 390) ita, ut plura inde, sicut saepius, conservaret. Quod sequitur scholium, p. 390, 15—18[1]), non possum ego Proclo attribuere; vindico potius veteri interpreti, quia comparantur variorum poetarum versus cum Hesiodeis. Procli rursus sunt p. 390, 28—391, 6, quo loco duo coniunximus excerpta unius eiusdemque olim plenioris scholii[2]) iniuria nunc per ἄλλως dissociati. P. 391,

1) Scholium est excerptum plenioris. Cf. Moschopulum p. 387, 6.
2) Cf. Eustathium ad Iliad. p. 1085, 43, ad Odyss. p. 1412, 16.

19—392, 5, quae sunt Procliana, ea pleniora legebat Tzetza: postea autem elucebit[1]) e Plutarcheo commentario huius modi symbolicas et allegoricas explicationes Proclum sumpsisse; et quae ad v. 724 apud ipsum Proclum desideramus, apud Tzetzam invenimus una cum indicio fontis, i. e. Pythagoreorum doctrinae. — Ad v. 727 adsunt philosophi scholia p. 393, 8—27. Rursus Tzetza quibusdam habet ea aucta. Alia sunt ad v. 733, p. 395, 28—396, 4, ad quae eundem conferas oportet Tzetzam. Eadem est res p. 397, 17—32, ubi adsciscas Tzetziana p. 398, 23. Ex p. 398, 28—399, 10 sua p. 399, 400 Moschopulus exscripsit addito nomine Procli: quaedam inde accedunt vulgatis Proclianis nova. Contra alienum est a Proclo scholium ad v. 740 p. 400, 23—26, quo discimus Aristarcheam huius versus athetesim et quorundam aliorum grammaticorum variam lectionem. Idem valet in scholium ad v. 746 p. 405, 6—8, quod p. 405 explanavit Moschopulus.

Procliana sunt certe p. 401, 7—19, quibus addas Tzetzae allegorica p. 402; porro p. 403, 5—18, quae exscripserunt Tzetza post solitas calumnias p. 403 et Moschopulus p. 404; item illa ad v. 746, p. 404, 23—405, 5, 30—406, 11. Novissima exscripsit Tzetza allegorica non omittens; item auctor Etym. Magni p. 816, 18. Ad v. 750, p. 407, 19—408, 12 immerito duplici signo ἄλλως diiudicantur eiusdem plenioris scholii tria excerpta: ad restituendum omnibus est opus, neque sunt neglegenda, quae auctor Etym. Magni p. 48, 35 (confer etiam librum Vossianum) ex eodem scholio in suum usum convertit. Eadem est ratio scholiorum, quae exstant ad versum, qui sequitur, p. 409, 17—410, 2: eodem modo atque nunc sunt disiecta, iam Moschopulus ea novit retinens neglegenter illud ἄλλως in describendo p. 410. Et haec sunt omnia Procli nec non ea, quae sequuntur ad v. 755, p. 410, 27—29, quae augeas Tzetzianis p. 411. — P. 411, 15—26 recte diiudicantur per ἄλλως duo scholia, sed mutetur oportet utriusque locus, id quod res ipsa postulat. — Excipiunt haec ab omni suspicione libera Procliana p. 411, 27—32, 412, 19—413, 24.

1) Cf. p. 390, 30, 403, 8 et haec ad verbum exscribentes Moschopulum et Tzetzam, p. 405, 30, 408, 1, 409, 10 etc.

Iam est perventum ad Dies. Casu quodam factum est, ut, qui haec scholia excerpebat, multo esset diligentior. Nam fere integra exstant, paucissima desideramus. Quamquam interdum ne haec quidem satis plena esse documento sunt supplementa quaedam Tzetziana. Semper vero periit, quae propria erat Procli, dispositio rei tractandae. Est quoque, ubi ambigere liceat, Proclum an veterem interpretem teneamus. Sed in universum via ac ratio interpretationis Proclianae hoc loco optime conservata est: hinc est norma petenda, ad quam reliqua revocare necesse sit. Unum tamen moneo. Neque enim fugit quemquam Proclum hoc loco praeter consuetudinem suam brevitati studuisse. Deest hic copia exemplorum et multitudo observationum. Cuius rei causa est petenda ab ipsa argumenti natura, quae nec cohortationi conveniat ad emendandos mores comparatae neque enarrationi fabularum rerumque gestarum historiae. Eadem est causa, cur minus saepe lapsus sit excerptor.

Habes autem Procli scholia p. 414, 29—416, 10, quibus addas Tzetziana de Orpheo p. 416: multum enim fuisse Proclum in hac re documento sunt loci p. 419 sq. et 440, 10 et quae iam supra interdum disputavit de Orpheo (cf. ad v. 115). Exscripsit hoc scholion unaque cum eo, quod sequitur, Moschopulus p. 417, ut saepissime in sequentibus; nihil tamen inde accedit. — Sequitur scholium p. 417, 34—418, 4, 12—23, ubi nullum habet locum illud ἄλλως: patet enim excerptum esse utrumque ex eodem commentario. — Excipiunt, quae sunt ad v. 769, p. 418, 23—420, 12, a quibus quae sequuntur, optimo iure per ἄλλως distinguuntur (p. 421, 1—14): sed debemus posteriora Proclo vindicare, priora veteri grammatico. Rem conficit, quod in altero scholio subest doctrina Philochorea, quae ad dies sacros pertinet sapitque prorsus veteris grammatici artem, in altero eodem consilio afferuntur harmonicorum rationes et quae sunt alia philosophorum propria, in quibus totus versatur Proclus. Conferas etiam Tzetzae calumnias p. 420, 27 et quae sequuntur.

Porro Procli sunt p. 422, 1—9, 16—423, 3, 424, 1—25, non est eius brevissimum scholium ad v. 775, p. 424, 34—425, 2, in quo insunt grammatica et Alexandrina. Sequuntur vere

Procliana ad v. 777, p. 425, 5—25, 426, 17—21, 428, 20—34, quibus addas Tzetziana de Orpheo p. 429. P. 430, 4—25 ad Proclum referenda sunt omnia, in his vel illa pauca per *ἄλλως* notata, licet sententiam aliquatenus contrariam praebere videantur. Sed explicatur hoc inde, quod subsunt quasi vestigia fusioris disputationis, in contrarias partes quae vocabatur, cuius meminit Tzetza p. 431, 29, cum neget se velle cum Proclo contra Hesiodum disputare.

Excipiunt Procliana p. 432, 3—25, 433, 6—434, 8, 17—435, 11, 436, 24—437, 5, 15—28: loco novissimo alterum illud *ἄλλως* recte dividit variorum interpretum scholia, prius legitur ante excerptum eiusdem Procliani scholii ob aliam causam nullam, nisi quod quondam in diversa horum scholiorum collectione inveniebatur. Recte se habent, quae sunt p. 438, 9—26, 439, 12—17, 21—440, 12, 21—441, 10. Quod sequitur p. 441, 15—22, vel propter nomen Philochori veteris est interpretis. Sequuntur Proclo adscripta p. 441, 28—442, 11, 18—443, 5, 23—444, 21: postremi scholii versibus 2—5 praefixum *ἄλλως* missum facias; rursus adest eiusdem scholii altera recensio. Dubium autem est, cui addatur scholium, quod ad v. 820 est p. 444, 26—445, 5. Procli est certe, quod legitur p. 445, 6—22, non est, quod ad v. 823 habes p. 446, 14—18 idem atque veteris interpretis p. 445, 22. Denique Procli sunt scholia p. 446, 26—28 et 447, 1—13.

Hac ratione restituimus Procli scholia. Fortasse addent alii alia, distribuent alii aliter: viam ipsam ac rationem aliam ingressurum esse spero neminem.

7.

Praeter Procli prolegomena leguntur alia p. 4, 22—5, 21, quae ab illius indole adeo abhorrent, ut non dubitaverimus veteri adscribere interpreti exceptis eis, quae sunt de Musis p. 5, 1—7. Gravissimum est, quod ab uno hoc auctore in dubitationem vocata est persona Persis tamquam ficta a poeta, quod quantum abhorreat a Procli ingenio, iam supra demonstravimus. Addendum est, quod in codice Dorvilliano per *ἄλλως* a praecedentibus haec prolegomena manifesto disiunguntur.

Iam in altera parte praefationis verba fiunt de dividenda poesi.[1]) Haec Tzetza, cum sua scriberet, ante oculos non habebat, nec tamen ipse scripsit, ut putavit Rankius (l. l. p. 5). Tzetza enim p. 12 ad suos iambos et fratris sui „pulcherrimum" opusculum, quod sit de hac re in commentario Lycophroneo, relegat, tum ipse, quae sibi dignissima scitu visa sunt, repetit, quae tamen toto caelo ab his, quae habet anonymus, distant. Haec si novisset, aut exscripsisset ea, aut increpuisset, aut fecisset utrumque. Sed *ἀπροοιμίαστον βίβλιον* scholiorum habuit. De Moschopulo non liquet.

Iam ad ipsam huius anonymi doctrinam adeamus. Sed praemonuerim hoc, ab auctore eius collectionis scholiorum, quae nunc circumfertur, doctissima haec scholia esse mirum in modum neglecta, ita ut advocatis demum reliquis testibus eluceat, quanti sit aestimandus anonymus.

Ac statim in ipso initio mirari licet Moschopulum, cuius notum est ubique in describendis poetae verbis servile ingenium,[2]) in prooemio explicando docta libertate quadam uti. Exscripsit nimirum scholia veteris interpretis, p. 36, 23—39, 17, praesertim cum in altera eius parte plurima sint ex grammaticorum studiis petita. Excipiunt haec Tzetzae quaedam de vocabulo *ἀνήρ*. Quae in Tzetzam minime quadrant, in scholiis grammatici interpretis optime se habent. Et factum est Fortunae beneficio, ut in recentiore uno e Parisinis codicibus plura serventur:[3]) afferuntur ad singulas significationes exempla ex Homeri carminibus petita. Quod ne Tzetzae tribuas, obstat auctor Etym. Magni, qui, cum p. 107, 30 ad verbum fere omnia exscripserit, plura ipse quoque et quidem alia exhibet, quae ego non dubito veteri interpreti restituere, cum in prioribus auctor sit manifestus. Et erit de hac re postea fusius disputandi occasio.

---

1) Conferas scholia ad *A* 16: *ἀπὸ τοῦ διηγηματικοῦ* (sc. *γένους*) *δὲ ἐπὶ τὸ μιμητικὸν μέτεισιν κτέ.* Idem scholia minora ad Z 46; prolegom. ad Theocrit. VI; Suetonius de poet. 3; Probus ad Verg. Bucol. VII, 12.

2) Conferas huius diss. II 5, 10 vel p. 77, 93, 108, 265 etc.

3) Gaisfordius indicare omisit, utrum in hoc codice Procli an Tzetzae quae dicuntur scholia insint: crediderim ea Tzetzae esse.

Ad v. 5 conservavit Tzetza anonymi metricas observationes, quae pertinent ad vocabulum *ῥεῖα*[1]), Moschopulus vero verba facit de poetico usu vocum *ῥεῖα* et *ἀρίδηλος* p. 40, 7—10, 18, 19. Non est opus argumentari: haec quoque debet anonymo. Eidem fortasse id scholium, quod in uno libro Dorvilliano legitur ad v. 8 (p. 41 not. i) inter Procliana, attribuendum est propter singularem de Persa sententiam, quam apud Proclum nullo loco invenimus. Sed de hac re licet dubitare. Contra nihil obstat, quominus adscripta ad v. 9 p. 42 not. m praeter illa, quae per *ἄλλως* signantur, una cum eis, quae nunc Procli sub nomine inde repetuntur (p. 42, 9—11), veteri grammatico restituamus addentes Tzetziana illa de vocabulo *δίκῃ* semasiologica p. 42, 23—24 et Moschopuli omnia grammatica p. 42, 25—43, 19. Ut autem supra factum vidimus, ita hic quoque quidam libri Tzetziana quamquam non multo, pleniora tamen exhibent, invenimusque insuper simillimum locum apud auctorem Etym. Magni p. 275, 50, quem ex scholiis Hesiodeis originem ducere vel inde veri est simile, quod exemplis Hesiodeis singulas significationes auctor illustrat. Idem valet in Tzetzae et Moschopuli explicationem vocis *θέμις* et *θέμιστας* p. 44, 1—7. Eo facilius concesseris, quae in codice Dorvilliano (p. 44 not. w) de pronomine *τύνη* leguntur sine nomine auctoris, (unde videntur Procliana esse), huc referenda esse et ipsa. Testis enim producitur in his Dionysius Thrax, quem Proclus (e Plutarcho ut videtur) uno omnino loco et quidem satis invitus commemorat. — Porro exstat anonymi scholium ad v. 11 sub *ἄλλως* p. 44, 19—45, 3 (cum not. y), quod varium in modum exscripserunt Tzetza et Moschopulus, quaedam servantes grammatica, ille de forma, hic de significatione. Moschopuli autem opera factum est, ut etiam p. 46, 18—25 de vocibus *ἐπιμωμητή* et *διάνδιχα* nonnulla supersint, itemque p. 47, 11 (illius tamen dicendi genere) satis memorabile excerptum Alexandrinae doctrinae. Quod vero sequitur scholium p. 46, 29—47, 2, perperam esse Proclo adscriptum iam monuimus p. 54. Eadem ratione e Procli scholio

1) Haec Alexandrinorum quae videtur adnotatio pertinebat ad *ῥεῖα* in v. 7. Cur ita dixerimus, cum *ῥεῖα* nunc legatur etiam in v. 5, suo loco demonstrabitur.

ad v. 15 p. 48, 33 seclusimus vocem primam ὑπερβατόν, ut vestigium nimirum Alexandrinorum, quod cum solum videatur in suis libris invenisse collectionis auctor, non est mirum, si non ad explicandum signum Aristarchi rettulit, sed immiscuit neglegentius Proclianis. — Veteris deinde interpretis sunt p. 49 ea, quae unus codex Parisinus C servavit; cf. Gaisfordii notam q, et in ipso textu quae graviora sunt v. 20—23. Addenda sunt fortasse, quae Tzetza de Aeolica forma ἐρεβεννή praebet p. 50, 11 et Moschopulus de usu poetico vocis πολλόν p. 51, 11. — Ad v. 20 sq. traditum est sub ἄλλως scholium p. 52, 7—10, quod recentiores exscripserunt. Ad v. 22 uberrimae sunt de verbo ἀρόμμεναι et grammaticae et metricae observationes, minus a Tzetza petendae, qui non multa et illa dubitanter protulit p. 53, 3—5, sed a Moschopulo, qui prorsus contra morem suum plurima affert p. 53, 6—23.

Non minus multa veteris grammatici olim fuerunt ad v. 24 de voce ἄφενος. Primum vestigium cernimus in scholio p. 54, 6—8, errore, ut vidimus p. 54, Proclo adscripto. Excipiunt, quae sunt de significatione et origine vocis pleniora in scholio Tzetzae p. 54, 9—17. Accedunt auctores Etym. Magni p. 177, 53 et Gudiani p. 95,52 et p. 97, 9 ex eodem fonte haurientes, sed Tzetziana augentes copia exemplorum. Sorbonicus vero codex unius saltem sententiae auctorem nominatim affert. Parcus contra hoc loco fuit Moschopulus p. 54, 2—5, tamen peculiaria quaedam ex communi fonte hic quoque servavit, et quidem de genere vocabuli. Eadem, sed aucta apposuit Eustathius ad Iliadem I 62, 39—63, 16 Stallb., ita, ut ex sylloge ab aliis illis diversa eum hausisse sit apertum, quoniam in parte priore exempla omisit, plura habet in posterioribus, sicuti idem priore loco non nominavit auctorem illum, quem in Etymologico invenimus, deinde vero indicavit alium. Vides rursus, quam varia iam pridem in usu fuerint excerpta.

Delendum esse ἄλλως p. 54, 21 iam dixi supra p. 54. Anonymi autem sunt Tzetziana ad v. 26, p. 55 et cum his ea, quae illius signo notantur p. 55, 34—56, 5. Haec exscripserunt Tzetza p. 56, auctor Etym. Magni p. 484, 46 (servato vel lemmate κακόχαρτος ἔρις), auctor Etym. Florentini p. 175 (apposito ipso versu); pleniora leguntur in Etym. Gudiano p. 293, 23

cum ipso indice scholii, unde elucet etiam illa, quae Tzetza paulo post p. 56, 11—17 exhibet, ab eodem auctore esse sumpta. Quibus adiungas Ps. Zonaram p. 1460 ed. Tittm., cuius vel lemma (*ὀπιπτεύοντα*) est accomodatum ad locum Hesiodi. Sed his quoque Reitzensteinii factum est humanitate, ut ex Etymologico, quod apellatur *μέγα*, nonnulla addamus; cf. supra p. 33. Tzetziana vero si composueris cum eis, quae exhibentur in Etym. Gudiano p. 603[1], 49 sive mavis in Etym. Magno p. 12, 44 et 13, 12 (cf. etiam codicem Vossianum), res erit manifesta neque de auctore dubitabis: non solum eadem exhibent, verum etiam per ea, quae docent de declinatione, grammaticum auctorem significant. Unde illud quoque patet, a vetere interprete verba esse facta etiam de vocabulo *ὀπιπτεύοντα* et esse omnia, quae sunt grammatica hac de re apud Moschopulum p. 56, 18—25, illi restituenda.

Supra p. 55 dictum est, iniuria Procli sub nomine ferri scholium ad v. 30, p. 57, 2—5 (exscriptum a Tzetza p. 57), in quo grammaticorum more disputatur de vocabulo *ὤρη*. De eadem re plurima leguntur in scholiis Homericis,[1]) quibuscum Proclo nulla erat necessitas, veteri grammatico, ut postea in expli candis fontibus eius apparebit, vel maxima. Neque quisquam dubitaverit etiam illa Tzetziana de vario significatu vocabuli *βίος* huic interpreti reddere, praesertim cum Tzetza postea de eiusmodi rebus rarissimo verba faciat (scilicet, quia defecerunt scholia ex hoc commentario excerpta).

Sequuntur sub *ἄλλως* scholia p. 58, 10—14, 15—18 (e quibus nonnulla Tzetza exscripsit p. 58, 26) et p. 61, 5—9. Paulo infra vide Tzetzam de suo grammaticum p. 61, 15: *κεκορεσσάμενος, καὶ ὅσα λόγου δίχα τινὸς διπλασιάζει τὰ σύμφωνα, Αἰολικά εἰσιν* (!). Addendum est vestigium scholii ad v. 37, quod in Ps. Zonarae lexico invenies p. 937 (*ἐφόρεις* lemmate ipso servato). Sed suo more Ps. Zonaras quam brevissimus est in exscribendo scholio. — P. 63, 26 indice illo *ἄλλως* nihil valente omnia tribuimus Proclo p. 55. Ad v. 41 p. 64, 16—23 quod sub *ἄλλως* est scholium Veteris, id suo more ut

---

1) Ad *μ* 89. Conferas, qui exscripserint auctores Etym. Magn. p. 116, 5, Gudian. s. v., Eustath. p. 1715, 25.

Proclianum impugnat p. 65, 7 Tzetza. Sed miraberis hoc loco ne verbo quidem tangi illam inter grammaticos saepissime tractatam quaestionem, quae est de accentu vocis ἀσφόδελος, quam ego in his scholiis desiderari eo aegrius feram, quo pluribus in lexicis invenimus de hac re aliquid. Nullum tamen ibi est vestigium Hesiodea scholia fuisse illorum fontem. In scholiis Homericis (λ 540) res paucissimis absolvitur, sed quaeritur, nonne hanc brevitatem ad excerptorem referendam dicamus. Eustathium tamen, cum mirum sit eum tam copiose de hac re disputare (ad Odysseam I 433, 20—38 Stallb.), ut vel quinque grammaticorum sententias exhibeat, dixerim potius scholium Hesiodei interpretis integrum servavisse.

Sequitur Veteris scholium p. 66, 14—21 ab aliis scholiographis exscriptum. Ad v. 48 servavit Moschopulus copiosam grammatici explicationem vocis ἀγκυλόμητις p. 75, 22—28. Excipiunt duo scholia p. 78, 7—11, 22—24, cui fortasse addendum Tzetzianum p. 79, 1—2; tum p. 82, 17—22, in quod ut Proclianum suo more invehitur Tzetza p. 82, 5, cuiusque Moschopulus in priore scholio p. 77, 28 memor est. His addas de voce ὕδος grammatica, quae iniuria Proclo attribuuntur p. 84, 18—22, quaeque Tzetza ad verbum fere exscripsit p. 86, 26. In Etymologicis autem et apud Eustathium quae de eisdem rebus inveniuntur, potius sunt hausta ex Homericis scholiis ad I 657, quippe quae accommodata sint ad ipsum locum Homeri. Contra Moschopuli quae pertinent ad versum explicandum p. 85, 6—10, Veteris sunt, id quod manifesto ostenditur doctissimis animadversionibus, quae sunt de Homericis et Hesiodeis deis. Quae cum ad ipsam Alexandrinorum doctrinam nos revocent, nihil est, cur veteri interpreti haec non restituamus. — Ad v. autem 65 iam vidimus supra p. 57 non illa tantum, quae sub ἄλλως leguntur, Veteris esse, sed etiam quae de eadem re in explicanda voce γυιοκόρους apud Proclum inveniuntur p. 88, 14—16. Ad quae accedere comparatis aliis monuimus illa Eustathii ad Iliadem I 8, 20—33. Non minus iam constat de grammatici scholiis plenissimis ad v. 68 de vocabulis Ἀργειφόντης, Ἀμφιγυήεις, διάκτορος adscriptis ex Tzetzae, Moschopuli, Eustathii scriptis Etymologicorumque auctoribus restituendis, similique ratione de voce Παλλάς et Ἀθήνη v. 76. Addenda sunt illa tantum,

quae praeter haec de vocibus ὀνόμηνε et ἑδώρησαν Tzetza partim ipse servavit p. 96, 25, partim Proclum suum exhibuisse significat p. 97, 11. E quibus, nisi me omnia fallunt, postremam disputationem perisse e nostris scholiis nunquam satis lugemus. — Etiam ad v. 85 vidimus p. 58 quae sunt de interpungendis verbis p. 99, 10 melius Veteri quam Proclo assignari. Eiusdem esse illa Moschopuli grammatica p. 100, 24—32 et Tzetzae partim grammatica partim rhetorica p. 100, 33—35 vix crediderim quemquam esse negaturum. Idem cadit in ea, quae exstant ad v. 89 sq., p. 100, 4—9 et 100, 21, Proclo quae perperam attribui supra demonstratum est (p. 58 sq.). — Sequuntur scholia p. 102, 7—16, 103, 9—23, quibus addas Tzetzianum p. 103, 24—27, ut vel odium eius Proclianum prodit. His coniungendum esse supra p. 59 demonstravimus etiam quod p. 103, 3—8 Proclo iniuria attribuitur scholium. Ex postremis exscripsit Moschopulus sua de voce ἀλάληται, inter quae nonnulla sunt, quae pleniora legebat, p. 105, 4—8 et p. 106, 9—14. — Adest porro illud ἄλλως p. 105, 18—20 et p. 106, 25—28 (reliqua autem Procli esse docuimus p. 59). Alterum ad verbum exscripsit auctor Etym. Magni p. 322, 27 et Ps. Zonaras p. 669 (cum ipso lemmate), quibuscum comparandus est Eustathius ad Odysseam p. 1850, 28. His subiungas ex Moschopulianis ea grammatica p. 107, 22—30, quae vel maxime abhorrent ab ipsius scribendi genere. — Orbata sunt scholia Veteris siglo p. 107, 4 et 116, 3—7, quae tamen inter Procliana non recipiuntur. Porro in scholio ad v. 118, p. 117, 15—19 duobus primis versibus affertur sententia grammatica vel potius rhetorica, in sequentibus philosophorum more tractatur. Itaque manifestum est, quae scholia hic sint permixta. Ceterum prioribus Tzetziana de vocabulo ζείδωρος grammatica addenda sunt p. 117, 7—11, id quod vel ex ipsius verbis patet: 'οὐχὶ τὰς ζειὰς μόνας, ὥσπερ τινὲς φάσκουσι. Quibus ego non dubito addere, quae de eadem re exhibet Eustathius ad Iliadem IV 155, 45—156, 1 Stallb., quoniam neque in ceteris eius fontibus quicquam de hac re invenitur et eius verba 'Ηρόδοτος δέ που εἰς ταὐτόν φησιν ἄγεσθαι τὰς ζειὰς ταῖς ὀλύραις statim advertunt nos ad Tzetziana. Tzetzae praeterea scholium p. 118, 5—16 integrum est Veteri restituendum. Cuius sunt

Procliana quoque p. 122, 1—5 grammatica exscripta a Moschopulo, nec non quae Tzetza de voce ἐναλίγκιον disputavit p. 122, 24. Et cum eius sint verba p. 123, 14—16, necessario ea quoque illi adiungo, quae immerito cum Proclianis in unum scholium sunt contaminata p. 125, 1—2, cumque his quae Tzetza de eodem vocabulo πανρίδιον grammatice disputavit p. 122, 3—5. Idem fortasse valet de Tzetzae disputatione, quae est de particula ἔμπης p. 129, 1. Locum vero similem Etym. Magni p. 335, 29 potuit eius auctor etiam ex Homericis scholiis exscribere. Sed vestigium saltem veteris interpretis exstat sine dubio in marginali adnotatione ad v. 141 codicis Monacensis (cf. Usenerum l. l. p. 591): γρ. φύλακες. Nullus tamen est ibi locus compendii γρ. Exegeticum aliquid, non criticum subest; conferas modo v. 123 et Procliana. Miserrime igitur est truncata proposita a Vetere hoc loco doctrina. — Ad v. 144 tradita sunt duo scholia p. 129, 21—25, quae inter se consentiunt, pugnant vero cum Procliano p. 128. Itaque falsa est distinctio per ἄλλως facta: utrumque veteris est interpretis. Est autem eiusdem inter Moschopuli quoque reliquias p. 131, 30—32 excerptum, quippe quod pertineat ad formam ἦν = ἦσαν adiunctis grammaticis interpretationibus.

Multo difficilior est res in scholio ad v. 148 adscripto. Tzetza enim quae exhibet, ea confudit neque recte intellexit p. 131, 16—20; tamen vel sic manifestum est ab eo veterem interpretem esse exscriptum. Habet autem de eodem vocabulo (ἄαπτοι) plurima auctor Etym. Magni p. 1, 34, et hoc ipso vel plura Eustathius ad Iliadem I 122, 36—43. Haec constat mihi non manavisse ex scholiis Homericis ad A 567, maxime quod exhibet Eustathius auetorum nomina, quae ex reliquis fontibus haurire non potuit. Contra omnia recte procedunt, si modo statuimus originem haec duxisse ex commentario Hesiodeo veteris grammatici. Quem hoc loco egregiam Alexandrinorum doctrinam conservavisse infra p. 150 demonstrabo. —

Difficile esset etiam scholium ad v. 154 restituere, si sola haec haberemus scholia. Tradit enim Tzetza quaedam de voce ἔκπαγλος et statim tantum non nominatim indicat, unde sumpserit. Quod si idem multa ut scitu non digna sprevisse se affirmat (p. 134, 19: ἀλλὰ τί ἐν τοῖς πάνυ σαφέσι πολυλογοῦμεν; κα-

θάπερ τινὲς ἕτεροι, οἳ τὰ λόγου ἐχόμενα καὶ τὰς ἀλληγορίας παρέντες περὶ τὰ τοιαῦτα ἐχρονοτρίβησαν κτέ.), habet de ipsa hac voce auctor Etym. Magni p. 323, 26 satis multa, auctor vero Etym. Gudiani p. 177, 63 et 178, 3 eadem fere et quidem adcommodata ad scholiorum usum. Omnia Veteri sunt restituenda.

De eis Proclianis, quae p. 135, 11—28 sub *ἄλλως* leguntur, monuimus iam p. 61. Postrema, quae sunt Veteris de voce *δικαιότερον* grammatica, exscripsit Tzetza p. 136. Idem conservavit satis multa de verbis *αὖτις* et *αὖθις*, quae eodem fere ordine etiam Etym. Magn. p. 171, 42 leguntur. Sed cum Etymologica ad verbum consentiant cum Epimerismis Homericis (apud Cramerum Anecd. Oxon. I 9, 13), equidem non ausim veteri ea assignare interpreti: conferendus tamen est etiam Eustathius ad Iliad. p. 1175, 63. Nec minus manent dubia, quae sunt de formis absque $\bar{o}$ et in $\bar{\nu}$ apud Eustathium ad Iliad. p. 1062, 51, ad Odyss. p. 1879, 54.

Scholium autem, quod est ad v. 159 vel 169 p. 137, 8—21, a Proclo ad Veterem transtulimus iam supra (p. 61.) Contra Procli sunt (v. p. 62), quae immerito a simillimis per *ἄλλως* divelluntur p. 140, 12 et 141, 19. Ex Tzetzianis nihil ad Veterem pertinet, nisi quae sunt de voce *μῆλον* et de vocabulo *Οἰδίπους* declinando; aut ille etiam haec de suo dedit, id quod sane potuit. Procul dubio loquitur Vetus p. 142, 16—19. Neque ego adducor, ut credam ab ipso Moschopulo conscriptum esse scholium ad v. 174, p. 144, si non totum, tamen postremam partem. Tantum inest in eius verbis iudicii acumen, tam dilucide disserit, tam probe consentit cum sententia veteris interpretis p. 137, 18. Procli sententiam funditus adversariam indicat scholium ad v. 178 p. 145, coll. Veteris observatione p. 146, 12—18. (de p. 145, 18—23 v. supra p. 63).

Grammatici interpretis quae sunt, inepte coniunguntur cum Procli scholio p. 146, 26—147, 2. Idem valet in grammaticum scholium Procli p. 148, 18—21, quod exscripserunt Tzetza et Moschopulus ita, ut e priore nova quaedam de duali vocis *βάζοντε* pro plurali adhibito accedant et de participio *γήρας*,[1]) e Moschopulo ad v. 199, p. 151, 31—34 de forma

---

1) Confer Etym. Magnum p. 230, 55; Eustathium ad Odyss. p. 1490, 37; scholia Hom. ad *P* 197.

ἴτον. — P. 152, 1—16 ad v. 197 leguntur apud Tzetzam non pauca simillima eis, quae auctor Etym. Magni p. 623, 7[1]) et Eustathius ad Iliadem I 24, 34—48 Stallb.[2]) de eodem vocabulo exhibent. Quorum uterque cum in reliquis fontibus non omnia sua videatur invenire potuisse, immo potuit, ut docet Tzetza, in scholiis Hesiodeis veteris interpretis, ego haec omnia restitui iubeo Veteri. Ad eundem sunt procul dubio referenda p. 155, 6—156, 10 etiam pauca illa grammatica, quae ante signum ἄλλως de voce ἐλεόν traduntur. In postrema verba invehitur Tzetza ut in Proclum vehementissime p. 157, 7. Idem paulo post veteris interpretis servavit doctrinam in scholio ad v. 212 adscripto p. 159, 16—19, ubi simillima, sed pleniora habet auctor Etym. Magni p. 467, 55, qui exscripsit etiam, quod sequitur scholium p. 160, 2—7 ad v. 213 p. 43, 5 (cf. notam), quo loco in codice Vossiano vel signum scholii retinetur.

Anonymo addenda sunt etiam, quae p. 168, 1—11 de forma ἀνθεῦσι exponuntur grammaticorum more. Idem paulo infra de voce ἀργάλεον verba fecit, quae tamen et emendatiora et pleniora conservaverunt Etymologica (Magnum p. 135, 17, Gudianum p. 72, 38).[3])

Sequitur sub ἄλλως scholium p. 170, 8—17. Postremis sunt illa de verbo νείσσονται addenda, quae nunc apud Moschopulum leguntur p. 171, 30. Tzetziana p. 177, 3—6 nescio an non huc pertineat: potuit quidem de suo dare. Contra quae p. 178, 30—179, 2 habet, certo sunt danda veteri interpreti. Idem Tzetza servavit etiam de vocabulo ὄπις disputationem, quae in nonnullis cum Eustathianis ad Iliad. p. 938, 41; 1272, 19; ad Odyss. p. 1528, 50; 1760, 11 congruit.

Excipit scholium sub ἄλλως de filio Hesiodi p. 188, 7—13. Atque iterum iterumque mihi reputanti suspicio oritur, qua moveor, ut credam haec omnia e Plutarchi commentario, ubi optime se haberent, in Procli scholia venisse. Haec Tzetza diligenter exscripsit p. 189. Quae tamen Moschopulus tradit p. 189, 11, ea sine dubio sunt veteris grammatici. Eiusdem non minus certe sunt, quae, cum absit ἄλλως, ut Procli ser-

1) Cf. scholia ad Apoll. Rhod. *I* 599.

2) Cf. scholia ad *Α* 18.

3) Cf. etiam Eustathium ad Iliad. p. 1322, 36.

vantur p. 190, 25—191, 3. Qua in grammatica adnotatione (de vocabulo *νόμος* alieno ab Homero) nihil prorsus inerat, quod tantopere bilem moveret Tzetzae, qui iam inde a p. 172 passim vehementissime invehitur non solum in „quosdam", quos ab Hesiodo Homerum victum praedicavisse dixit, verum etiam in ipsum poetam. Itaque desideramus hoc loco comparationes quasdam sive Procli i. e. Plutarchi sive veteris interpretis, quibus Hesiodus cum Homero conferatur, sed illas coniectando restituere non possumus, licet e Tzetzianis p. 171 sqq. appareat de figuris quoque poeticis disputatum esse. Quaedam tamen, quae adfuisse dixeris olim, Moschopulus p. 192, 25 habet, quibus addas pleniora e Tzetza p. 192, 27.

Sequitur scholium illo *ἄλλως* insigne p. 193, 4—10, quo simul confirmantur, quae nos ad v. 9 exposuimus. Fortasse etiam Moschopuliana p. 195, 27 sunt addenda. Deinde exempli a Tzetza ad v. 287, p. 198, 3 prolati crediderim hanc causam esse, ut interpres Vetus vituperetur.

Porro p. 202, 4—6 et 203, 23 Moschopuli quae traduntur, exscripta sunt e vetere interprete; de Procliano scholio p. 203, 26 monuimus iam supra p. 64. Sequitur plenissimum scholium ad v. 304, p. 204, 4—22, quod exscripserunt et Tzetza et Moschopulus, quodque in scholiis Monacensibus (Usenerus l. l. p. 593) nunc ex aliqua parte et plenius et emendatius legitur. Auctor vero Etym. Magni p. 524, 41 et Ps. Zonaras p. 1227 exscripserunt quidem illi quaedam, sed nihil inde lucramur novi. Adsciscere licet etiam Moschopulum p. 204, 31 et Tzetzam p. 205, 5—7, quoad habent grammatica. Videtur vel ad Suidam s. v. *κηφήν* IIª 248 Bernh. scholium pervenisse, qui omnino a scholiis Hesiodeis non alienus fuit, ut patet multis locis.[1])

Sequitur scholium p. 206, 20—27, cui attribuimus praecedentia (v. 10—19), quae simillima sunt. Quae sequuntur, vidimus (p. 65) omnia esse Procli, licet adsint vel duo *ἄλλως* p. 208, 9 et 211, 6. Hic addam scholium, cuius nullum omnino vestigium

1) Conferas Iᵇ 627 Bernh. *εὐόρκου*; Iª 1453 B *δώς*; IIᵇ 542 B *πυγοστόλος*; IIᵇ 1055 B *τέην*; Iᵇ 256 B *ἔνη*; Iᵇ 863 B *αἶον*; Iª 237 B *ἄλλοτε*, quibus locis vel lemmate conservato satis ostendit, cuius sit fontis doctrina. Comparata vero verba cum ipsis scholiis omnem suspicionem siqua forte permanserit, removent.

in vulgari est collectione, ad v. 325 ex Etym. Magn. p. 574, 275. Accedit, ne sit dubitationis locus, Ps. Zonaras, qui p. 1337 eadem exhibens lemma quoque retinet *μαυροῖσιν*, qua forma verbum occurrit ipso loco Hesiodeo. Idem valet in v. 327, ad quem illustrandum praeter scholii tenuissima apud Moschopulum vestigia (p. 217, 16) praebet sua auctor Etym. Magni p. 652, 3 fontem ipso lemmate indicans. Non diversae sunt rationis, quae legimus Etym. Magn. p. 65, 6 cum lemmate *ἀλιταίνω*. Conferas Eustathium ad Odysseam p. 1751, 20. — Deinde sunt Veteris scholium p. 223, 22—224, 10, Tzetziana de voce *ἔμμορε* p. 226, 4, scholium ad v. 355 p. 229 (bis cum ipso lemmate ab auctore Etym. Magni exscriptum p. 293, 48 et 293, 55; cf. Etym. Gud. p. 150, 37 et, qui eisdem fontibus usus est, Orionem p. 48, 3), scholium ad v. 360, petendum illud quidem ex Etym. Magno 657, 1, cum in vulgatis scholiis perierit. Similis est res ad v. 373. Scholium ipsum p. 236, 2—11 falso est Proclo attributum; exscripserunt Tzetza et Moschopulus, nihil nos iuvantes, nisi quod Tzetza p. 237, 1 Anacreonti Simonidem adiunxit. Auctores Etymologicorum suo more fontem non celantes ad verbum fere eadem exhibent: in Magno p. 695, 31 (partem repetit p. 35, 50), paulo liberius in Gudiano p. 486, 55, cf. Eustathium ad Iliad. p. 380, 3, ad Odyss. p. 1818, 3. — Praeter scholium ad v. 376 p. 238, 1—5 monuimus (p. 66) Veteris esse etiam illud p. 237, 6—8 de v. 375, quod inepte cum Proclianis in unum confunditur, recte disiunctum et plenius invenitur in scholiis Monacensibus. Quod iam p. 21 cum Usenero monebamus ab Eustathio ad Odyss. II 233, 25—29 haec ad verbum exscripta esse, id vel magis elucet ex eius disputatione ad Iliad. p. 781, 12, quo loco quod de „melioribus libris“ Hesiodeis dixit, id nisi ex huius interpretis scholiis hausit, scire non potuit. Quam frequens omnino fuerit in hoc auctore adhibendo, ipse aperit ad Iliad. I 158, 30—40 hisce verbis: *ὑφελέσθαι, ἀφ' οὗ καὶ τὸν φιλήτην παράγουσί τινες τῶν παλαιῶν σχολιαστῶν Ἡσιόδου κτέ.* Quibus comparatis nemo dubitabit Veteri illa quoque adiudicare, quae de eadem voce in Etymologicis sunt, in Magno p. 793, 57, Gudiano p. 551, 25, 28; 552, 48 sq., non uno numero integriora.

Sequitur prolixum scholium ad v. 383 p. 244, 14—245, 11,

cui docuimus p. 67 subiungenda esse, quae excipiunt duo p. 245, 12—30, etiamsi signo *ἄλλως* non notantur. Simillima sunt in scholiis Homericis ad *Σ* 486, quorum fontes non longe absunt a Veteris auctoribus. Plurima praebent Etymologica: Magnum p. 675, 34 (cf. notam) et Gudianum p. 469, 7, 13, 44; Suidas s. v.; cf. Eustathium ad Iliad. IV 86, 40—87, 42. Omnia si accuratius examinaveris, invenies ubique rationem ac doctrinam veteris grammatici. Cui praeterea sunt addenda quaedam ex ampla Tzetzae disputatione, quae Proclo non debeat. Huius autem disputationis cum sub finem legamus adscripta ad particulam p. 251, 10—29 haec verba: *σημείωσαι, ἐναντίως οὗτός φησι τῇ τοῦ Τζέτζου ἐξηγήσει*, cavendum est, ne decipiamur. Res sic se habet. Pars posterior fluxit e Proclianis: pars prior, quam Moschopulus p. 254 exscripsit, diversa est, et regnat per eam grammatica veteris interpretis. Fuit igitur totum hoc scholium in alia quadam collectione reliquis, quae innotuerunt, dissimili. Veteris autem interpretis pars eisdem fere verbis legitur etiam in Etymologicis, Magno p. 83, 7 (cf. Crameri anecd. Ox. 2, 331) et Gudiano p. 44, 50. Adde Eustathium ad Iliadem IV 123, 38—41.[1]) Vetustatem doctrinae testantur Homerica scholia ad *T* 222. — Proximum est scholium brevissimum p. 256, 7—10, cui addas grammatica Moschopuli p. 255, 1—5. Similia ex alio fonte habent Eustathius ad Iliad. p. 578, 37 et Etymologica, Magnum s. v. *πόλις* et Gudianum eadem s. v. p. 475, 13. Moschopulus aut neglegenter exscripsit aut misere iam excerpta invenit, p. 259, 1—5; cf. Tzetzam p. 259, 11—23. Postrema neglegentius tradit auctor Etym. Magni p. 145, 1; cf. Etym. Gud. p. 77, 47 et Eustath. ad Iliad. p. 140, 12, ad Odyss. p. 1533, 14. Fortasse ex eodem scholio sua sumpsit Ps. Zonaras p. 1261 (cum lemmate *κτητήν*), cuius huc faciunt etiam, quae sunt p. 130 (*ἀλεωρήν*).

Res manifesta est in scholio ad v. 408, cuius pars altera (p. 260, 1—6) cum Procliani scholii priore in unum coaluit. Argumento est ratio tractandi grammatica. Neque deerant, qui exscriberent, in primis idem Ps. Zonaras p. 1729 (*τητῶ*), in

1) Cf. ad Iliadem p. 811, 27. Ceterum monuerim, ubi paginas Basileenses adscribo, me hoc facere eo consilio, ut pro indicio sit Eustathiana non manavisse ex ipsis scholiis Hesiodeis.

quibusdam largior, deinde auctor Etym. Florentini p. 281 (cum lemmate), item auctor Etym. Magni p. 757, 52. Addenda sunt Tzetziana de verbo ἔννηφι p. 260, 31. — Proximum est scholium falso attributum Proclo p. 261, 18—20, quod Moschopulus iam p. 203, 14 exscripsit, Tzetza ad hunc ipsum versum. Plura passim dant Etymologica, Magnum p. 485, 53, Gudianum p. 295, 6, Ps. Zonaras p. 1155. Excipiebant haec, quae nunc apud Tzetzam leguntur p. 265, 28 non sine plurimis in grammaticos interpretes conviciis. — Quae deinde de ἰδάλιμος disputabat Vetus, in vulgatis desiderantur, restituenda sunt cum ex Etym. Magno p. 465, 18 tum ex Etym. Florentino p. 163, ubi aperta est doctrinae origo per lemmatis formam.

Ad v. 423 sqq. tradita sunt nonnulla Veteris scholia modo apposito, modo omisso signo, interdum cum Proclianis consociata. Quae sunt Veteris p. 273, 20—274, 7, in his auctor Etym. Magni p. 183, 37 etiam grammatica ampliora retinuit. Omnia vero sua ex hoc scholio fluxisse confitetur Eustathius ad Iliad. Π 47, 45—48, 5, qui cum provocet ad ipsa σχόλια, Homerica scholia dicere nequit, quippe quae sint hoc loco tenuissima (cf. ad *E* 486). Et profert statim exempla ex Hesiodeis, ad quae ducit nos vel Tzetza p. 277. Idem de voce ὄλμος quaedam tradidit, quibus ne addamus statim Etym. Magn. p. 622, 53, obstat scholium ad *Α* 148. — In proximis p. 275—277 velim ego distinguamus quaedam scholia, sed licet adiuvemur ab auctore Etym. Magni p. 87, 51; 333, 37; 242, 26 et Ps. Zonara 457 (γύης), res haud ita certa est, cf. supra p. 68. Contra in eis, quae Tzetza ad v. 431 p. 278, 14 habet, vel propter Pisidem laudatum constat subesse Veteris doctrinam (cf. Eustath. ad Odyss. p. 1869, 34). His adde, quorum nulla fere vestigia manserunt in vulgatis, quae tamen licet aliunde augere, praesertim ex Etymologicis. Etenim cum Ps. Zonaras p. 45 lemmate ἀδηκτοτάτη conservato fontem indicaverit, Veteri cedat sua vel Moschopulus p. 265, 19. — Ad v. 432 sq. conferas Etym. Flor. p. 109 (ἔλυμα), Etym. Magn. p. 333, 39, Eustath. ad Odyss. p. 1732, 15, apud quem de signis Alexandrinorum verba fiunt. Deinde de voce ἀκιώτατον (v. 435) adeas Ps. Zonaram p. 112 et Etym. Magn. 48, 47. Denique reddas Veteri illa quoque, quae excerpta leguntur in Etym. Gudiano p. 232, 45. Cf. Etym. Magn. p. 412, 15

et Suidam s. v. ζυγομαχεῖν (I[b] 774 Bernh.). — Veteris ad v. 441 scholion p. 280, 12—13 iam supra p. 68 omisimus in enumerandis Proclianis. Exscripsit Tzetza. Idem sine dubio exscripsit Eustathius ad Iliad. I 305, 25—35. Neque est dubitandum, quin quae sunt in Etym. Magn. p. 31, 56 (cf. Crameri an. Ox. 1, 28), huc faciant. Conferas Eustathium ad Iliad. p. 586, 18; 804, 6; ad Odyss. p. 1589, 38. Nescio, an addenda sint etiam illa Moschopuli p. 281, 26—282, 16 nata fortasse e pleniore scholio, cuius nunc est vestigium p. 282, 27—30.

Tria, quae sequuntur scholia Veteris nota insignia p. 285, 8, 286, 13, 287, 10, admodum sunt vilia. Sed aliunde licet meliora restituere ad v. 453, scilicet ex Etym. Florent. p. 261 (ῥηΐδιον) et Ps. Zonara p. 1611 (ῥηΐτερον). Ad v. 464 adest Etym. Magn. p. 59, 33. — Quae ad v. 469 p. 292, 11—21 ut Procli leguntur, grammaticum interpretem per se ipsa postulant. Contra quae postea p. 293 sub ἄλλως sunt, excerpta scito esse ex ipso, quod antecedit, scholio Procli. Inversa ratione ad v. 477 p. 294, 25 (de loco gravissimo ad v. 475 infra dicturus sum p. 113) non solum, quae per ἄλλως distinguuntur, sed etiam quae praecedunt (de eadem voce εὐοχθέων), Veteris sunt. Eadem insunt in alio scholio p. 295, 6, et quidem aucta aliquatenus, quae omnia ad verbum exscripta licet invenire in Etym. Magno p. 401, 14. Exscripserunt etiam Tzetza et Moschopulus p. 295. Ab his transferas ad Veterem etiam grammatica illa p. 298, 10 et 299, 7, non quo ipsi talia nesciverint, sed ratione habita consuetudinis eius, quam alibi in eis deteximus.

Vile est scholium ad v. 485 p. 301, 1—5, copiosum contra ad v. 493 p. 302, 31—304, 3, quod ad verbum exscripsit auctor Etym. Magni p. 58, 23 (cf. etiam notam) non sine indice fontis. Excipiunt duo scholia p. 306, 28—32, p. 308, 1—14 (cf. supra p. 69). Postremum a multis est exscriptum una cum Procliano, a quo dissentit eius auctor de Lenaeone, cuius nomen perperam tribuit Boeotis, invito Plutarcho, cuius est in talibus gravissima auctoritas. Cf. Etym. Magn. p. 564, 7, Gud. p. 368, 54, Etym. Flor. p. 206 (s. v. λιαρόν). Idem valet et in Etymologicum, quod dicitur μέγα, cuius lectiones iuvat hic apponere: *Ληναιών· εἴρηται εἰς τὸ λιαρόν... Λιαρόν· χλιαρὸν, προσηνές· παρὰ τὸ λῶ τὸ θέλω λαρόν, ᾧ* (ὃ *B*) *θέλομεν·*

ὡς νῶ ναρὸν λῶ λαρόν, πλεονασμῷ τοῦ ῑ λιαρόν. τὸ δὲ Ληναιῶνα οἷον 'μῆνα δὲ Ληναιῶνα, κάκ' (κακακ' A) ἤματα, βούδορα πάντα, | τοῦτον ἀλευάσει (ἀλεύασθαι B), καὶ πληγάδας (παγάδας B reliquis fere omnibus omissis) αἵ τ' ἐπὶ γαῖαν | πνεύσαντος Βορέαο δυσεληγέες τελέθουσι'. προτρεψάμενος αὐτὸν τῷ χειμῶνι ἐργάζεσθαι παραιτεῖται ἕνα μῆνα τὸν μεσαίτατον ἐν ᾧ ψῦχός ἐστιν καὶ πάντα βούδορα. βούδορα δέ ἐστιν τὰ τοὺς βοῦς ἐκδέροντα διὰ τὸ κρύος. Ληναῖῶνα δὲ τὸν χυὰχ (?) κατ' Αἰγυπτίους καλούμενον. Ληναιῶν δὲ ἐκλήθη διὰ τὸ τοὺς ὄρνους ἐν αὐτῷ εἰςκομίζειν. οὗτος δὲ ὁ μὴν ἀρχὴ μηνός(!) ἐστι· οἱ δὲ Ληναιῶνά φασιν, ἐπειδὴ Διονύσου ἑορτὴν ἐποίουν ἐν τῷ μηνὶ τούτῳ, ἦν(!) ἀμβροσίαν ἐκάλουν. παγάδας δὲ τὰ πάγη ἢ τὰς πάχνας αὐτάς. Ἡσίοδος. In B post παγάδας legitur: ἔστι δὲ ὁ μεσαίτατος μὴν ἐν ᾧ θραύσεις ἐκ τοῦ ψύχους γίνεται(!). Conferas etiam Ps. Zonaram p. 1303 addasque eiusdem p. 1546 (πηγάδας) et p. 1552 (πιλνᾷ). Cum Zonara indicant fontem, scil. schol. ad 508, ipso lemmate Etym. Magn. p. 579, 9 et Gud. p. 387, 19: quaedam Procli sub nomine vel in vulgatis tradita sunt p. 311, 11. Quibus adde Etym. Magn. p. 604, 50 et Flor. p. 221 (νήριτος). — Ad v. 512 adest scholium falso adscriptum Proclo p. 312, 6—11, praeterea Etym. Magn. p. 575, 12, Gud. p. 383, 13, Moschopuli omnia p. 312, 27—313, 7, quae vide quanto differant ab eis, quae ipse de versu potuit Moschopulus de suo dare (cf. p. 313, 21). De p. 313, 31—34 v. supra p. 69. Porro quae de voce μέζεα disputavit Eustathius ad Iliad. p. 234, 32 et 407, 1, non possunt illa quidem certe ad Veterem referri, sed manet suspicio. — Contaminata sunt ad v. 524 scholia Procli et Veteris: nihilo minus secluduntur facile cum grammatica explicatio vocis τένδει p. 315, 8—11 tum postrema illa p. 316, 3—9, in quibus Clitarchi fiat mentio et Aristoteles falso laudetur, id quod in Proclianis non admiserim. Exscripserunt praeter Tzetzam et Moschopulum auctores Etymologicorum, Magni p. 111, 6 et p. 327, 24, Gudiani p. 180, 29, Florentini p. 35 (ἀνόστεος). Addenda sunt scholia Monacensia (p. 595 Us.) in nonnullis pleniora. Eustathiana contra, ad Iliad. p. 773, 32—40, pertinent potius ad Homerum. Nec dubitabit quisquam de Etym. Magn. p. 261, 1 aut de Moschopuli grammaticis p. 318, 8.

Ad v. 529 scholium p. 318, 21—25 iniuria Proclo adscriptum esse docuimus p. 70. Praeter Tzetzam exscripsit auctor Etym. Flor. p. 219 (μυλιόωντες) et Etym. Magni p. 594, 46, cui Cratetis nomen debemus, cuius loco in vulgatis Isocrates munere grammatici fungitur. Ex eodem veteris grammatici scholio petita sunt, quae leguntur in Etym. Magno p. 287, 43. Idem valet de p. 606, 20 (cf. etiam notam). — Ad v. 538 scholium p. 321, 25 Procli esse iam negavi p. 70. Veteris est, sicuti sunt eiusdem, quae leguntur in duobus scholiis Moschopuli p. 322, 8 et 323, 4—10, qui sane non de suo dedit exempla Euripidea et Homerica. Fortasse suum hic habent locum, quae sub voce δεύω apud Ps. Zonaram p. 491 et auctorem Etym. Magni p. 258, 33 leguntur. Quamquam est, cur pro certo id non affirmaverim.

Ad v. 549 scholium est p. 326, 21, cui supra p. 70 not. monuimus adiungendum esse, quod est proximum. Addenda sunt grammatica, quae habet Moschopulus p. 327, 20, fortasse etiam Tzetziana p. 327, 7. Idem valet in eius observationes p. 328, 5 et 329, 21, qua posteriore pleniora exhibet Moschopulus p. 329, 8. Quis vero fuerit auctor eorum, vel brevissimum indicat excerptum p. 329, 4—7, quod falso in Procli scholiis numeratur. Idemque docet, unde sua habeant auctores Etymologicorum, Magni p. 145, 7, Florentini p. 44 (ἁρμαλίη), Gudiani p. 78, 28.

Ad v. 568 quem ad modum se habeat Veteris scholium p. 333, 6—7, iam dixi p. 70 sq. Cf. Etym. Magn. p. 631, 5, Gud. p. 433, 38. E Proclianis illud εἰ μὴ ὀρθοβόην γραπτέον ὥς τινες delendum: nihil de hac lectionis varietate noverat Proclus. Omnia reliqua Procli sunt.

Dubium autem est, quam multa Veteri restituenda sint ex eis, quae apud Tzetzam p. 338, 1 de varia significatione vocis ἠώς leguntur nec non in Etymolog. Magn. p. 440, 38 et Gud. p. 252, 45, 253, 7, praeterea apud Eustathium ad Iliad. p. 691, 21 et 826, 3. Quae cum Tzetza communia sunt reliquis, per se veri est simillimum ea ex eodem fonte manavisse, nimirum ex scholiis Hesiodeis. Obstat tamen, et quod omnia exempla ex Homericis carminibus petuntur, et quod in Homericis quoque scholiis[1]), ad quae et ipsa aditus patebat Etymologis, eadem

1) Cf. scholia ad *B* 48, *Z* 201, *H* 433, *Λ* 1.

occurrit doctrina eisdem illustrata exemplis. Nihilo tamen minus Etymologos ad Hesiodea scholia revoco. In Homericis enim, id quod vel Eustathius testatur, passim de illis rebus agitur: coniunctim et sub uno conspectu composita inventa sunt potius in Hesiodeis. Omnia igitur referam ad meum Veterem.

Sine dubio Veteris scholium ad v. 578 exscripsit Eustathius ad Odyss. II 81, 34—39, quippe qui non de Homerico versu disputet, sed de Hesiodeo Homerique verba tantum afferat exempli causa. Idem scholia Hesiodea ad v. 579 quae sunt, adhibuit, nec tamen exscripsit: cf. ad Iliad. p. 214, 10 et 384, 11. — Absoluta iam est supra p. 41 sq. quaestio de veteris interpretis graviore quadam adnotatione, quae pertinebat ad vocaculum μᾶζα v. 590. Contra p. 346 postrema tantum (v. 26—28) huic possunt adiudicari, quibus ex Etym. Magn. addas, quae sunt p. 388, 28 prorsus ex illius more scripta. Priora Proclo tribues, si modo comparaveris, quae praecedunt. Idem valet in scholium falso Veteri attributum p. 352, 17, additis quae sunt p. 354, 18. Contra huius est proprium, quod nunc ad v. 614, p. 354, 28—29 inter Procliana est pertinetque ad doctas Alexandrinorum curas. Nec non sunt huius illa de vocabulo πλειών p. 355, 32, ut apparet ex eius scholio ad v. 383 (cf. p. 88). Quaedam hinc plura conservavit auctor Etym. Flor. p. 247. — Ad proxima, quae nunc desiderantur, licet ad v. 618 de voce δυσπέμφελος advocare Etym. Magn. p. 292, 36. Errant enim, qui haec ex scholiis Homericis exscripta esse doceant. Ubi ad Π 748 (coll. Eust. ad Il. p. 1084, 39) ea ipsa explicatio desideratur, quam Etymologicum habet, cum reliquae absint ab Etymologico. Ceterum etiam Ps. Zonaras p. 579 (δυσπέμφελος) eadem conservavit. Similis res est in Etym. Magn. p. 20, 28, ubi Veteris habes scholium ad v. 625. — Vetus porro loquitur, ubi nunc audis Proclum p. 359, 9 et 361, 28 (cf. supra p. 72). Addenda sunt grammatica Moschopuli p. 362, 14 et, quibus ad Alexandrinos ducimur, p. 363, 15. Eadem ratione a Proclo abiudicamus scholium ad v. 640 p. 364, 3. — Etiam ad v. 649 Vetus facit verba de signo quodam Alexandrinorum p. 367, 13—15 (v. supra p. 73): hoc quoque nunc inter Procliana delapsum est. Proximum scholium Veteris quidem nota est con-

spicuum illud p. 369, 16; nihil tamen inest, quod ingenium eius sapiat. Sunt autem huius grammatici, quaecumque Tzetza propria sua vocat p. 370, 30—371, 14 coargutus testimonio Etym. Magn. p. 497, 27 (not.).

Sequitur scholium p. 373, 20, ad quod addas, quod nunc inter Procliana legitur p. 376, 14—18, in quo sunt omnia grammatica. Funditus perierunt in proximis Veteris de vocabulo τέτορε observationes, quarum partem servavit auctor Etym. Magni p. 754, 10, Flor. p. 280 (τέτταρα). Ad v. 705 quae sunt p. 383,20, ea supra p. 32 absolvimus. Procliana vero sunt duo illa instructa signo ἄλλως, quae sunt p. 386, 24 (cf. supra p. 73). — Pergit Veteris interpretatio p. 389, 17 ad v. 719 additis eis, quae dantur Proclo p. 390, 15. Deinde usque ad v. 740 desunt in vulgata collectione scholia Veteris, licetque ex parte tantum aliunde detrimentum resarcire. Fortasse tamen ipse commentarius abhinc desiit copiosus esse, quippe in quo gravissima quaeque iam monuisset auctor nolletque repetere. Sed, ut dixi, pauca adsunt. Veluti ad p. 724 p. 396, 4—6 postrema Procliana huic sunt attribuenda. Ad v. 729 ipso lemmate προβάδην Ps. Zonaras p. 1590 fontem suum aperiens excerptum exile apponit. Etiam ad v. 736 conservaverunt quaedam auctores Etymolog. Magn. p. 723, 14 et Flor. p. 270 (σπερμαίνεσθαι). Ad v. 740 ea, quae ad lectiones varias pertinent p. 400, 23, Proclo sunt eripienda.

Adest rursus ἄλλως ad v. 742 p. 401, 19. A multis scholium est exscriptum. Praeter Tzetzam et Moschopulum nomino Ps. Zonaram p. 243 (ἀπὸ πεντόζοιο) et auctorem Etym. Magni p. 127, 39. Proximum est scholium ad v. 744, p. 403, 18, quod exscripsit neglegenter auctor Etym. Flor. p. 224 (οἰνοχόην).

Ut porro ad v. 746 Veteris est scholium, quod prae se fert Procli nomen p. 405, 6, ita quaecumque p. 408, 5, 10 sub ἄλλως legis, Procliana potius sunt; cf. supra p. 74. Eandem fere vicissitudinem observavimus ibidem de scholiis, quae sunt p. 411. Ad v. 747 Veteris verba unus retinuit auctor Etym. Magn. p. 555, 28. Eodem modo scholium ad v. 755 conservatum est in Etym. Flor. p. 219 (μωμαίνειν). Deinde in Etym. Magno p. 337, 31 et 127, 17 plura restant, quae pertinent ad v. 757, quibus respondent vulgata scholia p. 411, 32. Et

habet eadem fere auctor Etym. Flor. p. 39 (ἀποψύχειν). Neque immemor est huius loci, quem inspexit et nomine auctoris nondum orbatum invenit, Eustathius ad Iliad. p. 866, 18. — Procli sunt, quae sunt ad v. 768, p. 418 sub ἄλλως (cf. p. 75). Ad v. 770, p. 421 commutent Proclus et Vetus tradita scholia (cf. p. 75). Ad v. 760 ex aliis fontibus licet restituere scholium, quod in vulgatis periit, scil. ex Etym. Magn. p. 60, 16 (cf. notam), ubi advertas maxime Vossianum, deinde ex Etym. Gudiano p. 38, 18. His adiungenda sunt Tzetziana grammatica de voce ἕνη p. 420, 24, quibuscum conferas Eustathium ad Odyss. p. 1866, 10, qui tamen nescio an pendeat potius ex Homericis scholiis, quae nunc non novimus.

Excipiunt scholia ad v. 775, p. 424, 34 (falso Proclo adscriptum; cf. p. 75) et ad v. 777 p. 425, 25. Secundum exscriptum est a Tzetza, qui pleniora inde nonnulla exhibet p. 426, 11, fortasse etiam ab auctore Etym. Magn. p. 135, 2 et 605, 35; adde grammatica, quae exhibet Moschopulus p. 428, 1—20. Hinc quae usque ad finem carminis per ἄλλως notata sunt, noli omnia Veteri tribuere; sunt eius, quae leguntur p. 429, 1—3. 437, 28—30. 441, 15—22. 445, 22—26. 446, 14—18. 447, 14—18. Reliqua sunt excerpta Procliana; cf. supra p. 76. Sed haec hactenus. Accuratiora dabit, cui Reitzensteinii Etymologicum praesto erit iam editum. Equidem ex eis, quae mecum vir doctus communicavit, crediderim Procliana nonnulla, nec tamen multa, hoc instrumento qui usuri sint ad Veterem transferre posse.

8.

Perlegentibus nobis scholia Procli primum fere videbitur huius esse proprium, quod totum carmen refert ad emendandos mores. Conferas p. 3. 54, 20. 55, 32. 106, 18. 107, 1. 121, 1. 125, 17. 144, 26. 146, 20. 154, 20. 163, 20. 167, 4. 206. 210, 9. 233, 10. 260, 15. 290, 10. 336, 5. 385, 18. 391, 20. 393, 8. 395, 28 etc. Neque hoc mirum est in sectatore illorum, qui in eo positam esse vim poetae voluerint, quod versibus suis ἀποτρέπει ἀπὸ τῆς κακίας καὶ προτρέπει εἰς τὴν ἀρετήν. Quae verba saepissime in Procli commentario occurrunt. Satis prope abest reliqua ratio philosopha, qua quidem utitur saepissime

interpres Proclus, veluti p. 63, 20. 66 sq. 77, 33. 82, 11. 87, 10. 96, 1. 98, 10. 114, 10. 118, 24. 146, 19. 189 sq. 200, 15. 234, 5, aliis locis plurimis. Maxime, ubi Dies explicat, in hoc genus somniorum fere bacchatur. Similis est ratio eorum, quae pertinent ad affectus, veluti quae sunt p. 89, 3, Etym. Magn. p. 457, 7, Etym. Gud. p. 266, 56, p. 98, 1, p. 150, p. 312, Etym. Gud. p. 16, aliis locis. Sunt porro, e quibus concludas multas appositas fuisse philosophorum adversariorum sententias, cf. p. 100, 20. 101, 26. 105, 10. Saepissime apparet ἡ εἱμαρμένη, non raro artis vocabulum στοιχεῖα (p. 257, 2 al.). Adsunt explicationes πραγματικῶς φυσικῶς ψυχικῶς (p. 81, saepius), sunt ex astromomia sumptae interpretationes (cf. ad v. 383, p. 330, 340, 352 al.). Neoplatonismum redolent omnia.

Aliter se habet res, ubi explicat nominum propriorum origines secundum morem Stoicorum (ex gr. Etym. Magn. p. 438, 25; Etym. Magn. p. 589, 40; p. 59, 22; 74, 25; 77, 12; 81, 10; 92, 1 al.), nonnunquam eorum vel nomina addens; cf. e. g. ad v. 105 et 293. Quamquam dubitaveris, ipsosne auctores adierit. In aliis Orphicos sequitur, velut p. 31, 95, 96, fortasse etiam p. 120, 1. 142, 16.[1]) Praeter ea placuerunt ei et exempla e rerum gestarum memoria petita et e fabulari historia desumptae narrationes, quibus poetae versus illustraret, cf. p. 78, 15. 125, 20. 128, 20. 135. 139, 1. 140, 30. 146, 1. 176, 28. 182, 25. 193, 15. 218 fin., 225. 226. 233. 234. 239, 30. 241. 247. 272, 18. 285. 333. 334. 349, 10. 383. 389, 10 etc. Alia pertinent ad vitam Hesiodi, veluti p. 361 sqq., satis multa etiam ad artem criticam, cuius rei exemplum sit p. 4; 96, 15. Quae omnia ex Plutarchi commentariis fluxisse manifestum est, qui vel in reliquiis, quae exstant, saepissime laudatur a Proclo. Idem nomen ab huius sylloges auctoribus saepissime omissum est, non raro cum nomine ipsum scholium. Cuius rei ut exemplum ponam, iam Tzetza p. 225, 21 in Procli scholiis Plutarchi cum nomine legebat, quae nunc p. 226, 13 leguntur sine ulla Plutarchi memoria. Auctor autem adest Plutarchus omnibus locis, quibus Proclus versatur in factitanda arte critica; nominatim enim ubique citatur: p. 76, 3. 178, 11. 184, 8. 201, 2.

1) Cf. H. Flachii librum „Gloss. u. Schol. zur hesiod. Theog.“ 1876.

228, 13. 230. 237. 329. 368. 411. 436. Saepe ab eodem sunt petita exempla historica et mythologica, cf. p. 224. 226, 13. 239. 307, alios locos. Idem valet de morali vel symbolica ratione interpretandi (cf. p. 160, 196, 395, 405, 407, 411, 428), nec non de permultis locis, quibus aut tractatur de Stoicorum doctrina, aut de Hesiodi vita, de rebus Boeotorum, de ratione, quae intercedat inter Homerum et Hesiodum; cf. p. 76, 3. 165. 201. 272. 277. 338. 361. Cum autem vel in pusillis his reliquiis tam saepe appareat ille fons, quam largam messem Plutarcheae doctrinae censes olim fuisse in horreis Proclianis? Fuit enim Plutarchi commentarius amplissimus. Quem constat ex testimonio Gellii (20, 8, 7) minimum quattuor librorum fuisse. Infra versabimur in colligendis fragmentis. Nunc dicendum est de Platone auctore Procli philosopho, quem omnino mihi persuasi fere solum praeter Plutarchum ab illo in usum vocatum esse.

Laudantur autem vel in excerptis his, quorum universa ratio minime favebat philosophiae, undeviginti locis nominatim quaedam e Platonis operibus; duo vel tres sunt loci in novissimis demum excerptis auctoris nomine orbati. Per se patet olim multo plura fuisse Platonica, praesertim cum nonnulla iam suppeditavisse liceat dicere Plutarchum. Utar autem in colligendis Platonicis ordine versuum Hesiodeorum. — Desideratur nunc nomen in scholiis p. 24, 14 in explicandis etymis vocabuli *Μοῦσαι*. Fuit tamen sive Plutarchi sive Procli fons locupletissimus in Cratylo p. 406a. De ceteris etymis audi Proclum Etym. Magn. p. 189, 40. Sed fortasse satis est reliquam Platonis memoriam per indicem proponere. Et pertinent quidem mea opinione Procliana ad v. 15 p. 49, 3 (*ἅπαν τὸ κακὸν ἀκούσιον*) ad Leges p. 816c; ad v. 66 p. 89 (*πόθος ἐπιθυμία θυμός* simil., cf. Etymologica)[1] ad Cratylum p. 419d—420b; ea, quae sunt postea ad v. 76 p. 95, 6 de vocibus *Ἀθηνᾶ* et *Παλλάς*, ad Cratylum p. 406d—407c (collatis Etym. Magn. p. 589, 53 maximeque Eustath. ad Iliad. p. 518, 30); ad v. 111 p. 112, 18 (*Κρόνος*) ad Cratylum p. 396b (ubi tamen, quod laudatur nominatim Plato

1) Accuratiora abhinc quaeras ex eis, quae de Procli et veteris interpretis scholiis restituendis disputavimus supra p. 50sqq. et p. 76sqq.

hisce verbis: *καθάπερ ἐξηγήσατο καὶ Πλάτων*, affertur eius de genere aureo sententia e Cratylo p. 398a; ceterum cf. de vocis *Κρόνος* explicatione Etym. Magn. p. 540, 4 et Eustath. ad Iliad. I p. 165, 5 Stallb.); ad v. 113 p. 115 nominato Platone ad Politicum p. 270 d e (cf. de Platonis theologia V, 10); ad v. 122 p. 119, 11 ad Leges IV p. 713c d; ad versus 130 sqq. p. 123 bis laudato nomine ad Leg. III p. 694 c—e, 695 c e (nunc brevissime, olim fusius).

Ad v. 200 p. 154, 1 (adest Platonis nomen) non est in eis, quae exstant, quo referatur citatio. Ad Aristotelem (rhet. I p. 1376 a 9) provocat Gaisfordius; equidem ut multi probaverim sententiam Ruhnkenii[1]) dicentis ab Aristotele Platonem comicum esse appellatum, non philosophum: ergo Plutarcho tribuerim historiolam, Procliana vero ab excerptoribus misere sunt truncata. Nam vide p. 154, 3: *ὅτι δὲ θεῖον πρᾶγμα καὶ ἡ νέμεσις, δηλοῖ τὸ καὶ θεοῖς αὐτὴν ὑπάρχειν. Νεμέσησε δὲ πότνια Ἥρη, φησὶν ἡ ποίησις. Φθόνος δ' ἔξωθεν θείου χοροῦ παντός.* Quae perturbatio! Quid hic sibi *φθόνος* vult? Sed res erit manifesta, si finxeris tibi exiles lacinias hic superesse et copiosae et ornatae orationis, in qua veri est simile aut imitatum esse aut apposuisse Proclum locum illum Platonis, qui legitur in Phaedro p. 246 d—247 a. — Sed redeo ad indicem meum. Spectant Procliana ad v. 214 p. 160, 22 (nomine non addito, fortasse ex Plutarcho) ad Gorgiam p. 508 c d; ad v. 274 p. 190 ad Rempubl. I p. 351 c sq.; ad v. 290 p. 199, 10 ad Leges V p. 734 d; ad v. 308 p. 206, 9 ad Charmid. p. 163 b (addito auctoris nomine); ad v. 375 p. 236 ad Leges XI p. 923 c (sed hoc debetur Plutarcho); ad v. 448 p. 283 (*φροντίδα* p. 283, 8 mutato in *φρόνησιν*) fortasse ad Politicum p. 263 d (non tamen prorsus respondet locus, immiscentur ipsius Procli quaedam); ad v. 568 p. 333, 4 ad Phaedonem p. 84 e—85 b; ad v. 694 p. 376, 28 ad Leges IV p. 709 b; ad v. 695 ad sententiam multis locis a Platone expressam, veluti Rep. V p. 460 e, Leg. IV p. 721 a b, aliis locis; ad v. 709 p. 384 ad Rempubl. I p. 331 d; ad v. 710 sq. p. 386, 1 ad Leges V p. 729 d; ad v. 735 p. 397 ad Leges VI p. 775 c; ad

---

1) Histor. critica orat. graec. p. 147; cf. Schaeferum, Demosth. I 175 sqq. et Meinekium Fragm. comic. graec. II p. 692.

v. 760 p. 413 ad incertae sedis locum Platonicum a Plutarcho in commentario laudatum; ad v. 769 p. 419 ad tales locos, quales sunt Tim. 36 e, Leg. VI p. 775e; ad v. 802 p. 438 ad Leges IV p. 716 a. Iam satis, opinor, apparuit, quam frequens fuerit apud Proclum auctoritas Platonis: olim ubique fere dixerim eam regnavisse in commentariis Procli.

Adversariorum sententias ex parte iam in Platonicis dialogis invenit, maiorem partem suppeditavit ea, qua instructus erat, doctrina philosopha. Veluti inde habet Epicurea illa, de quibus diximus supra p. 46. Aristotelem advocat partim a Plutarcho admonitus, id quod infra demonstrabo, partim nescio an de suo (p. 315, 8 hist. an. I 490b 7; p. 312, 12 hist. an. I 596b 4). Etenim accuratissime novisse huius scripta Proclum inter omnes constat. Plutarchi Neoplatonici fuit auditor, cum explicaret Aristotelis de anima libros, teste Marino vit. Procl. c. 12 (cf. c. 9). Sed mittamus haec: aditus fiat ad fontem primarium, Plutarchi commentarium.

Hic praemoneam in eis quae exstant scholiis nomen quidem Plutarchi saepius afferri, ipsum opus commentariorum significari nusquam. Sed et adest testis Gellius (l. l. supra p. 97) et clamant ipsa scholia. Frustra quaesiveris locos Plutarcheos in eis, quae aetatem tulerunt, scriptis. Et quanam alia occasione nisi per commentarios prodiit ille instructus variis lectionibus athetesibus reliquoque grammaticorum apparatu?

Monuimus autem supra p. 96 interdum[1]) in altera parte Proclianorum perisse nomen Plutarchi, in altera adesse. Inde concludas olim id omnino multo saepius occurrisse. Et licet nunc quoque quaedam facta temporum decursu anonyma restituere Plutarcho adhibitis reliquis eius scriptis.

Sunt quoque, quae ex universa argumenti ratione nemo non concedat Plutarcho, veluti ubi spirat eius amor Boeotiae patriae, ubi apparet notissimum illud studium delectandi per exempla sive ex rerum gestarum memoria sive ex fabulari historia petita. Accedit morum emendandorum amabilis quaedam cura, Stoicorum in etymis explicandis imitatio. Haec ego

1) Conferas p. 142, 27 quodque huc facit scholium vetus, et p. 225, 21.

omnia, et certa et minus certa, proponam ex ordine carminis Hesiodei.[1])

Plutarchus igitur statim initio p. 4, 1 sqq. adnotavit Praxiphanis et Aristarchi athetesim. Stoicorum more disputavit de origine nominis Hesiodi, apud Proclum p. 24, 5 et Etym. Magn. 438, 25; idem eadem ratione ad v. 1 de Musis (cf. supra p. 52), de harum numero secundum Eumelum, Aratum Epicharmum alios, de earum filiis p. 27 sq., de horum nominum etymis, maxime secundum Orphicas sententias p. 31; illa denique, quae de Melisseo et Lysimacho sunt p. 33; cf. supra p. 52. Plutarchus idemne censuerit de delendo prooemio (cf. p. 32 sq.) atque Proclus p. 4, dubium est, maxime propter eius verba in Conv. quaest. p. 736e (edit. Bernad. IV 359): *ᾄσαντος δὲ τὰ πρῶτα τῶν Ἔργων· οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην κτἑ.* — Proxima sunt mea sententia ad v. 32 p. 59, 60 de Cerere et Proserpina. Sunt enim p. 58, 25 vestigia illa fusioris disputationis de Stoicorum etymologiis, neque est, cur argumentum non conveniat in Plutarchum. Etiam illa de asphodelo p. 64, 15 ad v. 41 (fr. 3 B.) comparatis aliis locis Plutarcheis[2]) facile tibi persuaseris Plutarchea esse, aut ipsa aut similia admodum. Cyri deinde exemplum ad v. 46 p. 72, cum nullo modo ex Herodoto ipso sumptum videatur (cf. maxime p. 72, 25), tribuo Plutarcho. Addenda sunt, quae p. 74, 3 ad v. 47 Stoicorum exhibent doctrinam.[3]) — Primus est locus, ubi nomen ipsum occurrit, p. 76, 6 ad v. 48 (Mor. 5, p. 764 W., 5, p. 20 Did., frg. 4 B.). Agitur de Prometheo deque lectionis varietate (*ποικιλομήτης* sive *ποικιλόμητις* et *ἀγκυλομήτης*). Quae Wyttenbachius et Duebnerus habent ex scholiis p. 76, 5—7, eis addas Procliana p. 76, 7—11: nihil enim de varietate lectionum Proclus sine Plutarcho. Addas

1) Auctor huius dissertationis, neglectis hoc loco fragmentis Plutarcheis ab aliis in quaestiones vocatis, velut in programmate a Scheerio conscripto, praematura morte ne omissa adderet impeditus est; neque ei dissertationis Westerwickii inspiciendae erat facultas. Qui post eum dissertationem typis imprimendam curavit, sat habuit afferre numeros Bernadakisii vol. VII, ne totum hoc caput subverteret.

2) Cf. de facie in orb. lun. p. 940c (ed. Bern. V. 457) et Sept. sap. conv. p. 157e (ed. B. I 385).

3) Cf. H. Flachium, „Glossen u. Sch. etc.“ p. 67.

quoque ex sequentibus, ubicumque Stoicae etymologiae restant reliquiae: p. 77, 12 ad v. 52 (*τερπικέραυνος*), p. 81, 13 ad v. 54 (*Ἰάπετος*), p. 92, 1 ad v. 70 (*Ἀμφιγυήεις*), nescio an etiam Platonica p. 95 (cf. supra p. 97). Sequitur locus ad v. 59 de risu Sardonico apud Proclum p. 83 et Eustath. ad Odyss. II 238. De grammaticorum athetesi rettulit ad v. 79 p. 96, 16: defensio utrum ad Plutarchum an ad Proclum referatur, nescio. Inepta est admodum. Plutarchus ad eundem versum advocavit Orphicos. — In proximis (duobus locis p. 100, 9 ad v. 89 et 105, 21 ad v. 104) cum Homero comparavit Hesiodum, priore loco explicandi causa, secundo ad vindicandum versum ab athetesi quorundam grammaticorum. Conferas autem Consol. ad Apollonium p. 105d e (ed. Bern. I 257) et de tuenda sanitate p. 127d (ed. Bern. I 312), quibus locis agnovit versum Plutarchus.

Platonica p. 112, 15 ad v. 111 (Etym. Magn. p. 540, Eustath. p. 203) potuit quidem illa Proclus de suo dare, defuisse tamen ea apud Plutarchum vix crediderim, quoniam insunt Stoicae rationis vestigia. Idem valet de eis, quae sunt ad v. 122 p. 119, 10—20 (fr. 6B.), ubi Orphici advocantur. Conferas Platonis Cratyl. p. 398 b. — Plutarchi porro ingenium referunt exempla illa, quae ad v. 129 illustrandum p. 123 e Platone sumpta vidimus supra p. 98; simili modo similia ad v. 133 p. 125, 20. Eiusdem generis cum sint, crediderim eiusdem originis illa de Nymphis Meliacis p. 128, 20 ad v. 142 (fr. 7B.) et de genealogia heroum ad v. 157 p. 135, ubi videtur post *φησὶ* p. 135, 1: *τὸ μὲν τρίτον γένος ἐξέλιπε διὰ τοῦ κατακλυσμοῦ φησι κτέ.* ipsum nomen Plutarchi restituendum esse: certe nomen interpretis desideratur, cum poeta ipse talia nusquam videatur dixisse. Quamquam fieri hoc quoque potuit, ut Apollonii Rhodii nomen excideret. Quod si est factum, vel magis crediderim per Plutarchum id testimonium appositum esse. Nec tamen certa est res. Veteri quoque interpreti patuit aditus ad Alexandrinorum studia. De nomine vero heroum illa ex Stoicorum vel Orphicorum etymologia p. 136, 137 explanata omnia in Plutarcheo fuerunt commentario. Conferas Platonis Cratylum p. 398d.

Nominatus rursus est Plutarchus ad v. 171 p. 142, 28 (5, p. 764W., 5, p. 20D., fr. 8B.). Et habet similia Plutarchus

aliis locis.[1]) Addas autem huic fragmento illud Caesaris exemplum ad v. 173 p. 143, 20, item quod est p. 154 ad v. 200 (fr. 10B.) de Platone comico; cf. supra p. 98.

Ad v. 214 nominatim advocatur Plutarchus p. 160, 16 (5, p. 766W., 5, p. 21D., fr. 11B.) Accedit quod paullo infra legitur Socratis dictum (cf. Plat. Gorg. p. 508c) nunc summa excerptorum neglegentia segregatum. Olim sane et Plutarchus et Proclus plura hac de re exhibuerunt.

Ad v. 220 p. 165 (5, p. 766W., 5, p. 21D., fr. 13B.) laudatur nomine addito Plutarchus. Eiusdem sunt de Laconibus p. 169, 14 ad v. 230, procul dubio olim ampliora quam quae nunc traduntur. Conferas modo Moral. p. 239f (ed. Bern. II 189). — In explicandis clarissimis illis versibus 225—237 certe multus erat Plutarchus, nimia fortasse laude Hesiodum suum efferens comparansque, nisi fallor, hic quoque cum Homero (cf. maxime p. 338, 30). Quae Proclus, ut solebat, diligentissime exscripsit ad v. 234—236. Nunc fere funditus sublata sunt, nisi quis vestigia levidensia inveniet in Tzetzianis illis conviciis, quibus invehitur p. 172 sqq. et in ipsum poetam et in omnes, οἳ τὸν Ἡσίοδον Ὁμήρῳ συγκρίνουσιν. Etiam mythica exempla, quibus illustrantur explicationes ad v. 240 p. 177, 7, Plutarchea esse confido. — Deinde p. 178, 11 ad v. 242 ipsum iterum nomen occurrit Plutarchi. Inde fragmentum est 5 apud Wyttenbachium (p. 767; cf. Duebn. 5, p. 21 et fr. 15 B.). Summa iniuria: infra enim videbimus Plutarchum duos versus, ad quos pertinet scholium, omnino non novisse. Debuit igitur Proclus versui 243 adiungere 246. Sed re non perspecta (utebatur autem libro eiusdem recensionis, unde est, qui nunc vulgatur textus) de suo quoad fieri potuit excogitavit, quae legimus. Subaudiendum autem est post verba οὕτω Πλούταρχος non vocabulum φησί, id quod putavit Wyttenbachius, sed συνάπτει.

Ceterum crediderim a Plutarcho hac ipsa occasione non pauca scripta fuisse de Aeschine, qui or. III, 135 laudat locum Hesiodeum. Quaerebat enim eiusmodi testimonia Plutarchus. — Proximum est scholium p. 182 sq. ad v. 256 (de Δίκῃ), quod hoc loco posui propter simillimam interpretationem,

1) Conf. de defect. orac. p. 419 et de facie in orb. lun. p. 941.

quae est in praecep. bene gerend. reipubl. p. 824c (ed. Bern. V 125) — Excipit scholium p. 187, 19 ad v. 270 (5, p. 768 W., 5, p. 21 D., fr. 17 B.), unde discimus eum sustulisse septem versus. Quibus eiectis cum filium illum exegisset, nihilo minus de eo fecit verba: nam sunt eius procul dubio p. 188, 10 sqq. — Accedunt ex historia rerum petita exempla ad v. 280 p. 193, 15, quod elucet ex ipsis verbis Tzetzae, a quo haec Procliana nobis sunt servata, quique exemplis illis se ipsum adiunxit. — Morum rationem habuit Plutarchus in v. 286 explicando p. 196: iterum summis laudibus Hesiodum effert et Platonis dictis[1]) utitur. Accedit explicatio vocabuli *ἰλαδόν* p. 197, 10. Utroque loco additum est nomen (5, p. 768 W., 5, p. 22 D., fr. 19, 20 B.). Suo iure recepit deinde Wyttenbachius 5, p. 770 (5, p. 22 D., fr. 21 B.), quae sunt de Zenone et Aristippo certe e Plutarcho apud Proclum.[2]) Plutarchea sunt etiam, quae servantur in Procli scholio apud Eustathium ad Iliad. I. 203, 3—8: res ipsa docet. Excipit athetesis versuum 317 et 318 p. 211 (5, p. 771 W., 5, p. 22 D., fr. 24 B.). Subiungenda ut Plutarchea sunt historica exempla ad v. 336 p. 218, (fr. 26 B.), quibuscum componas alios quosdam locos Plutarchi.[3]) — Adsunt autem exempla historica laudato nomine Plutarchi ad v. 346 p. 225, 6, (5, p. 773 W., 5, p. 23 D., fr. 29 B.), quae supra iam monuimus emendatione egere (cf. de audiend. poet. p. 34 b). Ipsi deinde tribuitur, quod delentur versus 353 sq. p. 228 et explicantur vocabula *δώτης* et *ἀδώτης* p. 229 (fr. 14, 15 5, p. 773 W., 5, p. 23 D., fr. 31 et 32 B.). Ad v. 368 nihil in scholiis: discas Plutarchi sententiam ex conviv. quaest. p. 701 e et vit. Galb. c. 16. A quorundam grammaticorum obloquiis defenduntur versus 370 sq. p. 230 (5, p. 774 W., 5, p. 23 D., fr. 33 B.); cf. de vit. pud. p. 553 e.

Recte deinde huc revocavit Wyttenbachius comparato loco de prof. in virt. p. 85 e (cf. de educ. liber. p. 9 e) illa ad v. 361

---

1) Cf. Platonis Leges V p. 731 c.
2) Cf. Diog. Laert. VII 1, 21 (de Zenone).
3) Conf. Plutarchi Apophthegm. Lacon. p. 228 c, Vita Lycurg. c. 19, praeterea Apophthegm. p. 172 b (ad quem locum Wyttenbachius ipse improbat, quod hoc fragmentum praetermisit).

p. 232 (5, p. 774; 5, p. 23 D., fr. 34 B.). Idem[1]) auctori restituit, quae spectant ad πιϑοιγία p. 233, 26 (5, p. 776 W., 5, p. 24 D., fr. 35 B.). Excipiunt duae explicationes Plutarcheae p. 237 (5, p. 776 sq. W., 5, p. 24 D., fr. 36 sq. B.), utraque nomine instructa, quarum priore deleri iubet versum 375, altera explicat v. 376. In hoc tamen tractando sine dubio Aesopi mythum attulit, qui nunc legitur p. 238, 12. Liberatis deinde a turpissimo Tzetzae errore (p. 239, 5) Plutarchi reliquiis, i. e. eiecto fr. 22 apud Wytt. (5, p. 778 5, p. 24; D., fr. 38 B.) adiungimus, quae leguntur p. 239, 30 (5, p. 778 W., 5, p. 24 D., fr. 39 B.). Quae proxima sunt ad versus 383 sq., in eis explicandis certe nimius erat Plutarchus. Magna enim pars astronomicae doctrinae (cf. p. 246) et mythicae huius e commentario fluxit, quoad quidem in Proclianis versamur; Veteris enim alia est ratio. — Ad v. 391 p. 254, 18 ipsum nomen habes (5, p. 778 W., 5, p. 24 D., fr. 40 B.). Item est aperte Plutarcheus celeberrimus ille de Timaeo et Aristotele locus p. 258, 3. Idem cadit in ea, quae sunt de Alexandro p. 264, 16 (secundum Aristoxenum et Theophrastum; cf. vit. Alex. cap. 4).

Tria excipiunt scholia ipso nomine conspicua ad v. 423 p. 272 (5, p. 779 W., 5, p. 25 D., fr. 42 B., coll. vit. Lycurg. cap. 13), ad v. 427 p. 277 (5, p. 780 W., 5, p. 25 D., fr. 43 B.), de vocabulo ἀκιώτατοι ad v. 435 p. 278, 1 (ibidem, fr. 44 B.). Addenda his esse, quae sunt ad v. 452 p. 285, 2 (fr. 45 B.) de Lacone, perspexit iam Gaisfordius. De adnotatione facta ad v. 464 p. 288, 26 monet locus, qui est in Conviv. quaestion. p. 637 d (ed. Bern. IV. 131). Comparata quaest. nat. p. 913 a recte iudicavit Wyttenbachius de scholio ad v. 485 p. 300 (5, p. 781 W., 5, p. 25 D., fr. 49 B.).

Idem intellexit ad v. 426 ex Hesychio esse recuperandum fragmentum Plutarchi commentarii (5, p. 804 W., 5, p. 32 D., fr. 89 B.). In Proclianis nunc interiit, non illud unum.

Iterum nominatim adsunt duo scholia ad v. 496 p. 305 (5, p. 782 W., 5, p. 25 D., fr. 50 B. coll. quaest. conv. p. 686 e) et ad v. 504 de nomine mensis Lenaeonis p. 307 (5, p. 783 W., 5,

---

1) Immerito tamen ad Conviv. quaest. VII 3 (ed. Bern. IV 261 sq.) provocans.

p. 26 D., fr. 52 B.) emendatum a viris doctis collato Hesychii lexico sub voce *Ληναιών* et ipso Plutarcho in Vita Pelop. c. 25. Quae vero Wyttenbachius Plutarcho adiudicat ut fragmentum 30 ad v. 541 p. 322, 24 (5, p. 784 W., 5, p. 26 D., fr. 54 B.), sunt ea quidem huius, nec tamen propter locum, quem attulit e conviv. quaest. p. 641 c sq., sed propterea, quod universa tractandi ratio redolet ingenium Plutarcheum. Nomen rursus legitur ad v. 561 p. 329, 30 (5, p. 784 W., 5, p. 26 D., fr. 56 B.), quo loco, quamquam delente Plutarcho tres versus *διαγράφει* pro librorum *ἀναγράφει* recte fortasse nonnullis scriptum videbitur, malo tamen *περιγράφει* ex sollemni grammaticorum more.[1]) — Sequuntur Procliana de Philomela ad v. 568 p. 333, 5 et, quas illo loco desideramus in scholiis, fabulae lusciniae et epopis coniunctae, ni fallor, iam apud Plutarchum cum Platonicis illis, de quibus dictum est supra p. 98. Nec non est Plutarcheum, quod fere invitus affert e Dionysio Thrace exemplum Proclus ad v. 571 p. 335, 25. Qui quam diligens fuerit Plutarchi pedisequus, nulla re magis apparet, quam quod vel invitus refert, quae ille praebuit. Et audi eum ad v. 794 sqq. disertis verbis monentem ne verbum quidem de his ferri apud Plutarchum. — Nomen legitur rursus ad v. 580 p. 338, 28 (5, p. 785 W., 5, p. 26 D., fr. 57 B.), quo in scholio comparatur Hesiodus cum Homero. — Ad v. 586 p. 340 quae adscripta sunt, vel propter Alcaei memoriam iure posuit in fragmentis suis Wyttenbachius (fr. 33, 5, p. 786 W., 5, p. 27 D., fr. 58 B.)

Ad v. 591 laudatur nominatim p. 345, 24 (5, p. 786 W., 5, p. 27 D., fr. 59 B.): suo autem iure comparato loco Plutarcheo in Conviv. quaest. p. 697 b sqq. omnia huc referebant editores. Cf. Athen. 10, 426 d. Laudatus est etiam ad v. 633 p. 361, 21. Nec tamen solum, quae vindicantur ei ab editoribus (5, p. 789 W., 5, p. 27 D., fr. 60 B.), eius fuerunt, verum omnia, in quibus sententiae insunt Hellanici p. 361, 5 et Ephori p. 362, 25, omnia denique ad v. 643 p. 366, 15 (fr. 61 B.), id

---

1) Vide Ludwichium „Aristarchs homer. Textkritik" I p. 110 sqq. Uno loco est *διαγράφει*, schol. ad *T* 365, a Ludwichio casu, ut videtur, neglecto.

quod confirmatur loco Plutarchi comparato de audiend. poet. p. 22 f (ed. Bern. I 54). — Nomine non carent in proximis, quae pertinent ad v. 650 sqq. p. 368 (5, p. 790 W., 5, p. 28 D., fr. 62 B.), qui locus est de famosissimo illo Homeri et Hesiodi certamine. Addenda his sunt, quae nunc leguntur corrupta p. 368, 28, quae quo modo legenda sint, erit mihi alio loco fusius exponendum. Etiam ea, quae exstant ad v. 706 p. 381, 25, dubito an Plutarcho restituenda sint (id quod fecit Bernadakis fr. 64).

In reliquis Wyttenbachius, cuius ex doctrina totus pendet Duebnerus, nimirum accuratius subinde perspecta Plutarcheae interpretationis ratione, desiit in scholiis ipso nomine conspicuis se continere. Veluti, quod est fragm. 37, 5, p. 791 W. (5, p. 28 D., fr. 65 B.), petivit ex eis, quae sunt ad v. 707 p. 383. Potuit etiam conferre Plutarchi sententiam in libro de fraterno amore p. 491 a (ed. Bern. III p. 273) in quibusdam satis similem. — In eis quae leguntur ad v. 709 sq. (cf. fragm. 38, 39, 40; 5, p. 793 sqq. W., 5, p. 29 D., fr. 66 B.), cum equidem Proclo psychologica abiudicare nolim, quippe in quibus propria laus eius fuerit, Plutarchi censeo esse exempla tantum p. 384, 26 Simonidis et Pythagoreorum. Genus vero dicendi Wyttenbachium recte adhibuisse ad dignoscenda Plutarchea omnino nego. Passus est Plutarchus Proclum, excerptores, collectores, ita ut singulorum verborum iam nulla sit fides.

Longe alia est res ad v. 719 p. 389 (5, p. 795 W., 5, p. 30 D., fr. 71 B.), ubi exempla exhibentur historica, quae propria est provincia Plutarchi, et ea quidem, quae etiam aliis locis apud Plutarchum inveniuntur.[1]) Atque addendum his est exemplum illud, quod legitur p. 390, 7. Quaedam restituas etiam ex illis, quae de v. 724 leguntur, maxime de ephoris Spartanis p. 391 fin., dubito tamen an non omnia, id quod voluit Wyttenbachius (5, p. 796 W., 5, p. 30 D., fr. 72 B.). Potuit enim Proclus quoque de suo talia suppeditare. Contra non dubito de symbolicis illis interpretationibus in multis secundum Pythagoreorum doctrinam expositis, veluti

1) Cf. de audiendo p. 38 b; Sept. sap. conv. p. 146 e; de garrulit. p. 506 c.

ad ipsum versum 724 p. 392, 8; bis in sequentibus, p. 405 et 407, additum est ad talia nomen Plutarchi.

Ad v. 733 nomine Plutarchi apposito est scholium p. 395 (5, p. 798 W., 5, p. 30 D., fr. 73 B.). Ad v. 734 p. 397, 8 vestigia sunt Plutarcheae interpretationis,[1]) sed ita non integer est commentarius, ut Neoplatonicam sive mavis Byzantinam filicem cum ipsis radicum fibris evellere non iam liceat. Ad v. 742 p. 401 scholium Procli (fr. 76 B.) conferendum est cum loco Plutarchi de Isid. et Osir. p. 352 (ed. Bern. II 474). Pythagorea quoque ad v. 744 p. 403, 5 non dubito Plutarcho restituere (sic Bernardakis quoque fr. 77), quoniam mox simillima[2]) sequuntur eius sub nomine p. 405, 30 ad v. 748 (5, p. 790 W., 5, p. 30 D., fr. 79 B.), item ad v. 750 p. 407, 19 (5, p. 799 W., 5, p. 30 D., fr. 80 B.). Inde recte ei addidit etiam illa ad v. 753 p. 409, 17 Wyttenbachius (5, p. 800, sive 5, p. 31 D., fr. 81 B.).

Ad v. 757 nunc exstant tantummodo p. 411, (5, p. 800 W., 5, p. 31 D., fr. 82 B.), quibus ut eiciantur versus monet Plutarchus. Intercepta sunt, quae dixit de Stoicis (Chrysippo), quaeque recuperare licet ex libello, qui est de Stoicorum repugnantiis p. 1045 a (ed. Bern. VI 246). — Iure suo assignavit Plutarcho Wyttenbachius scholium ad v. 760 p. 413 (5, p. 801 W., 5, p. 31 D., fr. 83 B.), nisi quod, mea quidem opinione, verba prima Proclo debuit relinquere. — Ego huc revocaverim etiam Orphei laudes p. 416, 15 eademque ratione, quae sunt de eodem scripta p. 428 et p. 440.

Excipiunt duo scholia ipso nomine ornata: ad v. 780 p. 428, 20 (5, p. 803 W., 5, p. 31 D., fr. 84 B.) et ad v. 797 p. 436, 29 (5, p. 804 W., 5, p. 32 D., fr. 86 B.). Hoc tamen secundum iniuria in Plutarchi fragmenta receperunt editores, quippe in quo scriptum sit nihil de hoc loco Plutarchum dixisse, sed omisisse prorsus versus ὡς μὴ φερομένους. Unde hoc loco omnia necessario sunt Procliana. Ultimo loco afferam, quae de Aegyptiis deis p. 444, 15 ad v. 819 Plutarchi certe sunt. Gellius vero quae 20, 8, 3 (fragm. 52, 5, p. 805 W., 5, p. 32 D.,

1) Cf. Plutarchi de sera num. vindicta p. 562 a (ed. Bern. III 451.)
2) Cf. Conviv. quaest. p. 703 d (ed. Bern. IV 266).

fr. 90 B.) ut ex commentario Plutarcheo sumpta tradidit, horum locus sedesque ut definiatur, vix umquam continget.

Iam ex his reliquiis imaginem Plutarcheae interpretationis paucis liceat adumbrare. Ac primum quidem emendandis moribus Plutarchus quoque consuluit videturque ob id ipsum placuisse Proclo. Conspirat haec ratio cum reliquis hominis scriptis. Manifesta autem habes exempla p. 161, 196, 200, 18, Eustath. ad Iliad. I p. 203, 3—8, 232, 1, 384, 25, 395, 30. Quin etiam versus ab aliis deletos, modo si essent ad hanc rationem accommodati, defendebat, delebat contra, qui *παιδευτικῇ Μούσῃ* contrarii viderentur. Conferas p. 230, fortasse etiam p. 4, 1, praecipue p. 411.

Nitebant autem in commentariis multifariae illius doctrinae, qua florebat Plutarchus, egregia ubique lumina. Exempla e rerum gestarum memoria petita plurima sunt. Cf. p. 123, 10. 125, 20. 143, 20. 154, 1. 169, 14. 193, 15. 200, 10. 218 fin. 225. Quaest. conv. p. 701 e. Vita Galb. c. 16. 239, 30. 264, 16. 272, 18. 285, 3. 383. 389. 391 fin. etc.; item ex historia fabulari p. 24—28. 59 sq. 72, 25. 128, 20. 135. 137. 142. 182. 233, 25. 333. 444. De rebus Boeotiis deque eis, quae ad Hesiodi vitam pertinent, ita disputabat, ut Proclus exscripsit, scilicet a singulis versibus sumpta occasione, non per vitam quandam separatim conscriptam. Conferas p. 165, 8. 188. 277, 3. 307. 361. 362. 368 etc. Ut popularem suum plus aequo adamaverat poetam: inde non veritus est eum nonnullis locis cum Homero comparare, veluti p. 101. p. 172 sq., 338. In rebus obscuris explicandis bonum interpretem se praestitit: vide p. 64, 15, p. 83, Eustath. ad Odyss. II 238, p. 237, 13, 241—253, maxime p. 245, 258, 322, 340, 345, 428 etc. Ne singulorum quidem verborum significationes aperire supersedebat, cf. p. 197. 229. 278, 2. 335 fin., 366, 15. Hesych. s. v. *δεκαδώρῳ ἁμάξῃ*. In nominibus propriis non raro etyma quaerebat Stoicorum et Orphicorum more, ex. gr. Etym. Magn. 589, 40. p. 24, 25, Etym. Magn. 438, 25. p. 59, 22. 77, 12. 31. 81, 13. 92, 1. 112, 8 etc. In exitu carminis tractando etiam Pythagoreorum symbola adumbravit, cf. p. 392, 8. 403, 5. 405. 407. 411.

Restat, ut videamus, qua ratione versatus sit in arte critica. Hic mihi est monendum, eum omnino uno loco protu-

lisse lectionis varietatem, ad v. 48 p. 76, 7, ubi tamen quod ipse probavit, adeo non studet aliis quoque comprobare, ut fortasse coniecturam dicas ipsius Plutarchi. Aliorum atheteses raro commemorat, aut explicando versus ipsos, quid iudicet indicans (ex. gr. p. 96, 16), aut ratione non satis perspecta repugnans (cf. p. 105, 21, quo loco cur viri docti non adgnoverint versum, non recte videtur referre, vel ad v. 373 p. 230, 7, ubi adversariorum sententiam perspicere ne conatus quidem est). Aliis locis, ubi optimo iure affirmare licet ab Alexandrinis versus proscriptos fuisse (cf. p. 137, 8. 367, 14), Plutarchus ne verbum quidem. Licet ex parte crimen sit excerptoris: nihilo minus hoc mihi fixum videtur et stabilitum non adisse eum sive commentarios Alexandrinorum sive aliorum grammaticorum: signis criticis ornatum habuit librum, unde quaedam ei innotuerunt; rem tenebat, argumenta non item; satis interdum habuit, si versus conveniebant *παιδευτικῇ Μούσῃ*. Neque haec nos excogitavimus: sunt, quibus sententia optime comprobetur. Et primum quidem mirum est, cur nullo loco[1]) nomen attulerit eorum, a quibus versus essent deleti, acquieverit vero in voculis illis *τινές*, *οἴ*, *οἴ τινες*. Accedit locus gravissimus p. 211, ubi de Plutarcho ita loquitur Proclus: *καὶ τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς στίχον παρεμβεβλῆσθαι ληφθέντας ἀπὸ τοῦ Ὁμήρου καὶ*[2]) *Πλούταρχος εἶπε*. Vide, quid de eodem versu dixerint Alexandrini ad Ω 45: *ἀθετεῖται, ὅτι ἐκ τῶν Ἡσιόδου μετενήνεκται ὑπό τινος νομίσαντος ἐλλείπειν τὸν λόγον . . . ἐκεῖ γὰρ ὄντι λόγον ἔχει*. Tantopere errare Plutarchus nullo modo potuit, si adhibuisset commentarios grammaticorum. Et patet ex eodem loco ne a Proclo quidem unquam scholia Alexandrinorum visa esse: aliter hoc correxisset.

Superavit hic omnino auctorem suum in defendendis ver-

---

1) Ad prooemium delendum quod Praxiphanem et Aristarchum advocavit, non valet hoc contra: illius enim nomen in re notissima fere sollemne videtur fuisse, huius, nisi fallor (cf. infra), iniuria est positum.

2) Nimis pressit hoc vocabulum *καὶ* Sittelius in commentario ad versum oblitus videlicet, quot manus varia haec scholiorum excerpta sint perpessa. Sed subaudiatur *τινὲς ἄλλοι*, ecce iterum error aut Plutarchi aut Procli, quorum neuter signa Alexandrinorum recte interpretari potuit (h. l. asteriscum).

sibus. Veluti non solum retinuit hos tres versus (317—319), verum etiam contra Plutarchum ad versus 757 sq. p. 411 audebat quaedam proferre. Haec cognoscamus; utriusque ratio quam clarissime elucebit. Plutarchus enim suo Marte removet versus illos ὡς εὐτελῆ καὶ ἀνάξια παιδευτικῆς Μούσης: Proclus quo iure ita iudicaverit ille, omnino non quaerit. Nec obtendebat v. 733—736 vel v. 727—731, quibus versibus id multo magis obici poterat, quos tamen Plutarchus secure est interpretatus. Haec potius Proclus ad versus defendendos: *ἴσως δὲ καὶ ταῦτα παρακελεύεται τῆς ἰδιωτείας τῶν πολλῶν στοχαζόμενος· οὐ γὰρ πάντες ἔχουσι νοῦν, ἀλλὰ καὶ ταῦτά τινες ἂν παρίδοιεν.*

Eadem fere est ratio, qua ductus Plutarchus (cf. p. 188) expunxit versus 267—274 notos quidem illos multo vetustioribus scriptoribus. Et oblitus suae atheteseos idem eodem loco de filio Hesiodi disputavit. Alio quodam loco cum suo quodam iure, quod recte observavit pugnare inter se versus vicinos (p. 228, 14), duos (v. 353—354) delevisset, tertium hos excipientem, qui prorsus in eadem est sententia, retinuit et est interpretatus (p. 229, 22). Proclus vero haec omnia non solum non intellexit carere ratione, sed etiam probavit. Eiusdem notae sunt reliqua: longus esse nolo.

Sed cuius laudes in re critica admodum sunt exiguae, idem se praestitit, ut supra vidimus, optimum interpretem. Quibus autem fontibus usus sit in hac parte officii, aliquatenus licet etiam nunc demonstrare.

Et primum quidem in exemplis historicis mythicisque eisdem fontibus verisimillimum est eum usum esse, quos in Vitis et Moralibus adhibebat. Nominatim attulit Herodotum (e libro primo) p. 72, 25; Hellanicum in Phoronide, id quod nonnullis mirum videbitur, p. 361, 6; Aristotelem p. 154, 1, eiusdem e Rhetoricorum libro I p. 1376a, 9 (de qua re supra p. 98 est disputatum) p. 232, 7, porro p. 361, 25 ex Orchomeniorum republica (quo de opere fortasse dubitabat, vide Tzetzam p. 8). Tum laudavit Timaeum p. 258 (qui scripseritne haec in Historiis suis, valde dubitamus), Ephorum p. 362, 25, Aristoxenum et Theophrastum p. 264, 16 (cf. vit. Alexandri cap. 4), Lysimachum sive Lysaniam (cf. supra p. 100) et Melisseum p. 33,

rarissimae memoriae homines. Praecipue usus est Platonis operibus, nec solum in rebus philosophicis, verum etiam aliis locis. Cf. p. 161. 191 fin. (e Gorgia p. 508 c et Legibus IV p. 731 c); p. 237, 13 et 413 (conferas Leges VI p. 923); alios locos. In quibus etyma Stoicorum et Orphicorum more quaerebat, non praetermisit quasi prototypa Platonica e Cratylo adnotare; cf. p. 24. 95. 112. 123, 10. 125, 20. In aliis Stoicorum ipsorum scripta diligentius tractavit (cf. p. 59, 22. 77, 16. 81, 13. 92, 11. 112, 18), quos constat sedulo Hesiodo operam navasse (cf. de Stoic. rep. 1045 a).

His auxiliis usus magnos suos conscripsit commentarios Plutarchus. Quorum etiamsi verba ipsa iam non tenemus, licet tamen suspicari fuisse ex genere perpetuorum. Quod vel Gellius significare videtur, cum docet eos in plures libros fuisse distributos. Eodem ducimur, si rationem habemus Procli. Qui si disiecta quaedam singulisque versibus apposita scholia legisset, non potuerunt eum fugere quaedam graviora, velut a Plutarcho non lectum fuisse versum 199,[1]) neque v. 243 sq. (p. 178), neque v. 794—797 (p. 436, 30), ab eodem diversam scripturam exhiberi in v. 122 sqq.[2]), ne afferam plures locos.

9.

Veteris interpretis si scholia perlustraverimus, hanc fere inveniemus eius indolem. Permultus semper est in explicandis grammaticis rebus, quarum studio permotus omnino videtur opus suscepisse. Ne minutias quidem perpendere supersedet. Cf. ex. gr. p. 39. 43. 75, 22. 118, 5. Eustath. ad Iliad. I, 112, 36—44. p. 137. Etym. Magn. p. 323, 26, Etym. Gud. p. 178, 3. p. 148, 22, Etym. Magn. p. 230, 55. p. 159, Etym. Magn. p. 467, 55. p. 168, 2. 237, 6, Eustath. ad Iliad. I, 158, 30—40, schol. Monac. Rh. M. XXII, 594, Etym. Magn. p. 794, 1, Etym. Gud. p. 552, 53. p. 251, 10. 254, 1, Etym. Magn. p. 83, 7, Etym. Gud. 44, 50. Etym. Magn. p. 606, 7. 327, 20. 371, 1 etc. Habet

1) Cf. scholium Procli ad v. et Plutarchi Consol. ad Apollon p. 105 d e (ed. Bern. I 257).

2) Cf. Plutarchi de Isid. et Osir. p. 361 b (ed. Bern. II 497); de defect. orac. p. 417 b (ed. Bern. III 87); ibid. p. 431 e (ed. Bern. III 124) etc.

ille satis multa semasiologica quae appellantur, tum de rebus metricis deque rhetoricis non pauca: ex. gr. p. 39, 19, Etym. Magn. p. 107, 39. p. 42, 23, Etym. Magn. p. 275, 52. p. 57, 27. p. 338, Etym. Magn. p. 440, 38, Etym. Gud. p. 252. p. 40, 7. 53, 15. 100, 34. 168, 1 etc. Agit fere ubique de poetarum genere dicendi vocatque in comparationem prosae orationis scriptores: ex. gr. p. 40, 10 et 18. p. 42, 25. 5, 10. 37 etc. Afferre solet aliunde, maxime ex aliorum carminibus locos similes et exempla: p. 312, 10. 295, 10. 292, 14. 278, 16. 322, 13. 323, 5. 327, 8, Etym. Gud. p. 78, 30 etc. (quae copia exemplorum ex satis parva carminis parte repetita est). In arte critica factitanda summa modestia usus reliquorum grammaticorum sententias diligenter solet colligere. Loquitur de lectionibus „meliorum librorum“, velut apud Eustath. ad Iliad. p. 781, 12. Grammaticorum affert nomina, velut Aristarchum p. 99 not.; p. 103, 6; Eustath. ad Iliad. I, 122, 36; p. 156, 9; 400, 24; Aristophanem apud Eustath. I, 122, 36; Cratetem Mallotam p. 318, 23; Eratosthenem p. 343, 14; Comanum p. 103, 5; Apollonium Rhodium p. 447, 18; Callistratum p. 343, 14; Seleucum p. 102, 10; 326, 27; Didymum Etym. Magn. 178, 3 not.; p. 99 not.; p. 204, 18; Tryphonem apud Eustath. ad Odyss. I, 433, 28; p. 99 not.; Etym. Gud. p. 552, 57; Herodianum apud Eustath. ad Iliad. I, 63, 3; I, 8, 31; ad Odyss. I, 433, 35; Etym. Magn. p. 1, 39, Etym. Gud. p. 552, 53; Etym. Magn. p. 412, 25 not., Eustath. ad Iliad. I', 305, 35; Etym. Magn. p. 32, 12 (not.), p. 261, 4 etc. Criticam omnino magis curat quam exegeticam. Sunt sane loci, quibus tam sanum iudicium ostendat, ut aegre feras ab eo hanc partem esse neglectam (ex gr. p. 4, 26. 58, 15. 137, 18. 144, 16. 155, 10); neque desunt, ubi historiae fabularis habuerit rationem (cf. p. 41, not., p. 78, 18. 245, Eustath. ad Iliad. IV, 86, 17, Etym. Magn. p. 675, 35. Etym. Gud. p. 469, 20. p. 421, 2. 429, 1. 443, 13): sed multo plures sunt explicationes, quae nullius fere pretii sunt, neque raro descendit ad simplicem paraphrasin (ex. gr. p. 49, 20. 61, 5. 106, 25. 285, 8. 286, 13. 287, 10. 301, 1. 326, 21. 403, 18 etc.) A Procli sane et ingenio et consilio quam maximo intervallo est seiunctus: fere contrariam iniit rationem.

Miro casu factum est, ut nomen huius interpretis usque ad hoc tempus plane sit ignotum. Est autem satis celebre nomen Ioannis Choerobosci. Cuius in librorum indice licet locum non habeat commentarius Hesiodeus, licet interierit nomen in scholiorum farragine: unus excerptor fideliter conservavit memoriam scriptoris. Locus est ad v. 475 sq. in Etym. Magn. 38, 12 (not.): *αἱρεύμενον· λαμβάνοντα, αἵροντα. Ἡσίοδος ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις περὶ τῆς ἐργασίας προτρέπων·*

ἐκ δ' ἀγκέων ἐλάσειας ἀράχνια, καί σε ἔολπα
γηθήσειν βιότου αἱρεύμενον ἔνδον ἐόντος.

παρὰ τὸ αἱρῶ, ὃ σημαίνει τὸ λαμβάνω, αἱρῶ, αἱροῦμαι, αἱρούμενον καὶ τροπῇ Δωρικῇ αἱρεύμενον. Χοιροβοσκός. Grato animo accepimus hoc testimonium, quo eam sententiam confirmatam videmus, ad quam iam pridem ducebamur. Nam interpretem Christianae fidei addictum fuisse necessario erat statuendum ex eis, quae leguntur p. 36, 23, p. 49 not., p. 169, 16. Quid quod exempla petivit ex dicendi usu Gregorii Nazianzeni (p. 46, 6; Etym. Magn. p. 261, 1)? Ad Choeroboscum convenit saepissime laudatus Herodianus cumque eo reliqui grammatici, veluti Dionysius Thrax p. 44, not. w; Philoxenus Etym. Magn. p. 293, 48 coll. Orione p. 48, 3; Aelius Dionysius apud Eustath. ad Odyss. I, 433, 30, ad Iliad. I, 71, 35; Herennius Philo apud Eustath. ad Odyss. I, 433, 26; Pausanias apud Eustath. ad Iliad. I, 71, 35. II, 48, 2. III, 59, 1; *λεξογράφοι* p. 362, 2. Omnia hominem talium rerum peritissimum poscunt, quales ante Etymologica composita perpauci erant inter Christianos. Satis magni ponderis id quoque est, quod excerptis nonnullis fontem fuisse Orionis lexicum aperte licet demonstrare (cf. ad v. 9 p. 42, 23 et Etym. Magn. p. 275, 51 haustum ex Orione p. 47, 9; ad v. 154 Etym. Magn. p. 323, 26 et Etym. Gud. p. 178, 3 haustum ex Orione p. 61, 16; ad v. 358 totum fere scholium Etym. Magn. p. 293, 48 prodiit ex Orione p. 48, 3; ad v. 736 Etym. Magn. p. 723, 15 scholium est Orionis p. 142, 23.) Nec non unius illius aetatis hominis Christiani proprium est et scholium ad v. 27 Eustath. ad Iliad. I, 8, 30, ubi praeter Herodianum *κανόνες* (scil. Theodosii) nomine non addito ut notissimi laudantur, et elocutio illa peculiaris, cuius pauca sane nunc exstant vestigia excerptorum culpa, velut forma interrogativa

in explicando usurpata[1]) p. 42 not., p. 44 not.; Etym. Gud. p. 302, 5; ibid. p. 34, 18; illud ἰστέον p. 5, 8. 36, 27. 75, 22. 116, 3. 327, 20 etc. Conficitur denique res, cum nonnullis scholiorum locis eadem fere verba usurpata inveniuntur ab interprete illo atque a Ioanne Choerobosco in libris, quae sub eius nomine feruntur; cf. scholium p. 39, not. x et Etym. Magn. p. 107, 30[2]) cum Choerobosci epimerism. in psalm. p. 6 Gaisf.; scholium ad v. 9, p. 42, 23 et Etym. Magn. p. 275, 51 cum epim. p. 60, 26; scholium p. 229 et Etym. Magn. p. 293, 48 cum Choerobosci in Theodosii canones p. 360, 12. 370 extr. Gaisf.[3])

Qua forma conscriptus fuerit commentarius, perdifficile est dicere, cum ne similitudine quidem reliquorum adiuvemur; nam alio modo scholia in Theodosii canones, alio conscripti sunt epimerismi. Sed continuum atque in tres vel plures libros divisum eum fuisse verisimile saltem fit scholio v. 84 in Etym. Magn. p. 136, 55 not.: ὅθεν καὶ πανόπτης ἐλέγετο καὶ γράφεται διὰ διφθόγγου, ὡς ἐν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ εἴρηται. Suspicionem movet hoc dictum iam ad v. 84; sed fortasse fusior fuit commentarius initio, id quod eam ob rem quoque verisimile videtur, quod in excerptis scholiis saepissime ad priora relegatur in sequentibus. Ultra autem progredi coniectando non licet.

Ut de fontibus quoque commentarii brevissime dicam, nomine laudatum inter omnes saepissime invenimus Herodianum, cuius libris ad hunc quoque commentarium conscribendum censeo usum esse Choeroboscum, cum idem de aliis scriptis eius videatur valere; et eadem fortasse res est de lexicographis omnibus et de Herodiani patris scriptis. Simili modo cum ubivis Dionysium Thracem vel laudet vel eius sententias tacite explicet optima eius notitia non tantum in scholiis ad Theodosii canones, sed etiam in hoc commentario multis locis mani-

1) Cf. Choerobosci epimerism. in psalmos, ed. Gaisford., quem librum Lehrsius (Herod. scripta tria p. 439 sq.) Choerobosco abiudicandum esse mihi nullo modo persuasit.

2) Similia exhibet Theognostus in Crameri An. Oxon. II 41; cf. Anonymi quoque Ἐπιμερισμῶν in Homeri carmina apud Cramerum An. Oxon. II, 345, 14 similia.

3) Edit. Hilgardii p. 286, 1. 333, 8 et 33. p. 341, 33.

festa, ipsius libros eum adiisse credendum est. Supra iam vidimus ab eo etiam Orionis lexicum adhibitum fuisse quibusdam locis; quibus quod alios addere non licet, haud scio an crimini sit dandum excerptoribus. Theodosii canonibus et sua ipsius doctrina, quam in scholiis ad Theodosii librum exhibuit, si hodierna excerpta inspicimus, non saepe utebatur; sed denuo ambiguum, sitne habendus eam ob causam Hesiodeus commentarius ante scholia canonica conscriptus, an item eiecerint, id quod facillime evenire potuit, excerptores talia omnibus fere locis. Nam hoc non dubium, quin talibus rebus excerpendis nunquam illi delectati sint.

Rebus igitur grammaticis ex eisdem fontibus, quos in ceteris quoque operibus exscriptos videmus, haustis quaeritur, unde quae ad ipsum Hesiodum pertineant, originem duxerint, dico ad textum Hesiodeum constituendum vel ad explicandas sententias lectionum varietates, coniecturas, adnotationes doctas eorum grammaticorum, qui antiquiores et antiquissimi sunt, quorumque nomina aut tam arte coniuncta sunt cum Hesiodeo carmine interpretando, ut nisi ex libris hoc ipso consilio conscriptis repeti non potuerint aut in ceteris Choerobosci operibus prorsus desunt. Quorum cum quisque bis terve nominetur neque sit credibile permultis aliis locis eorum nomina perisse excerptorum neglegentia, fit veri simillimum eorum scripta ipsa non legisse Choeroboscum, verum uno quodam e fonte hausisse, ubi omnia haec erant collecta — scholia dico vetustissima. His igitur id genus omnia, quae modo dixi, debentur praeter grammaticas explicationes; quae etsi inerant in scholiis, neque plures certo erant neque tam copiosae quam quae Choerobosco pro eius peritia et diligentia ex aliis fontibus supra adumbratis erant praesto.

Laudatis autem, qui agmen eorum, qui citantur, claudant Herennio Philone (v. supra p. 113), Alexione (p. 99 not.), Apollonio Archibiu (Etym. Magn. p. 32, 12), quorum nomina quin ex hoc fonte receperit Choeroboscus nemo dubitaverit, concludere licet haec vetustissima scholia saeculo p. Chr. n. altero comparata esse eodem fere tempore, quo composita sunt vetustissima scholia Theogoniae,[1] altera sententia alteram comprobante. Tempus

1) Flach, Gloss. u. Schol. etc. 1876, p. 112 sq.

autem cum idem sit utriusque scholiorum corporis, licebit probabili coniectura affirmare indolem quoque et rationem eandem fuisse Operum scholiis atque Theogoniae eorumque simillimis carminum Homericorum scholiis. Denique fit verisimile eosdem fontes esse adhibitos ad Hesiodea et Homerica scholia conscribenda, eos dico, quibus et interpretationis et artis criticae adiumenta copiose et commode suppeditabantur, Didymi et Aristonici scripta.

Qui conscripseruntne quaedam de Hesiodi Operibus et ipsis? Procul dubio. Sane apud Suidam (I, 1, 729 Bernh.) de Hesiodo nullum opus Aristonici nisi de signis Theogoniae commemoratur; sed Orionis loco (p. 96, 27 Sturz), quem ad Theogoniam (v. 694) et ad Opera (v. 207) referas, Aristarcho tribuuntur *σημεῖα Ἡσιόδου* textus corruptela, et luce clarior est Lehrsiana huius loci emendatio,[1]) ex qua Aristonici *περὶ τῶν σημείων Ἡσιόδου* operis memoria iam emergit. Accedit, quod summa cum probabilitate Theogoniae scholia multa ad Aristonicum referuntur, qua de re post Flachium (Gloss u. Schol. etc. p. 100 sqq.) nemo potest dubitare. Aristarcheam autem recensionem, ad quam illo opere Aristonici necessario reducimur, Theogoniam solam continuisse, non etiam id carmen, quod semper Hesiodi *κατ' ἐξοχὴν* habebatur, nemo unquam contenderit. Qua ex re necessaria etiam de Aristonici ad Opera conscripto opere fit coniectura. Sed ne una etsi per se maxime probabili coniectura nitamur, sunt etiam certissima argumenta praesto. Vide in scholiis Choerobosci scholiorum vetustissimorum[2]) reliquias: p. 156, 9 et p. 400, 24 traduntur addito Aristarchi nomine duae atheteses, quibus recensionem Aristarcheam fuisse manifesto confirmatur, et saepius leguntur artis illa vocabula Alexandrinorum ad signa Aristarchea explicanda: *σημεῖον*, *σημειοῦται*, *σεσημείωται* p. 79, 1. 191, 1. 280, 21 (hic corruptum), p. 367, 14. 359, 8; *ὅτι* p. 44, not., quibus signis *περὶ σημείων* librum aliquem, Aristonici scilicet, fuisse certissimo ostenditur. Adde eius notissima compendia artis vocabulorum:

1) Sittelius in edit. p. 380 not. 4 illa non opus esse censet.

2) Cum de vetustissimis scholiis verba facimus, semper accipe eorum vestigia in Choerobosci scholiis tradita; nam vidimus a Proclo atque Plutarcho talia quam maxime aliena fuisse.

ὑπέρβατον pro *ὅτι ὑπέρβατον* p. 48, 33. 389, 18, *ἐκ παραλλήλου* pro *ὅτι ἐκ παραλλήλου* p. 117, 15. 118, 5. 363, 16; *μάχεται* pro *ὅτι μάχεται* p. 146, 24; *ἐκ μεταφορᾶς* pro *ὅτι ἐκ μεταφορᾶς* p. 313, 31. Denique comparatur, id quod ab illis Plutarcheis manifesto distat, Homerus ita, ut quae dicuntur sint simillima adnotationibus Alexandrinorum in scholiis Homericis adscriptis, velut p. 42, 9. 102, 9. 191, 1. 224, 2. 354, 27; alia his sunt similia. Quae omnia pervenisse in scholia vetustissima ex illo fonte, ex quo talia in Homerica scholia pervenerint, adeo non nego, ut si nihil esset traditum de signis Theogoniae et opere Aristonici *περὶ τῶν σημείων Ἡσιόδου*, coniectando tale opus ei attribuerem; nunc iuvat Suidae non satis rectum testimonium melius explanasse.

De Didymo videtur res facilior esse. Nota est summa eius diligentia, qui secundum Suidam (I 1 p. 1329 Bernh.) tria milia quingenta scripta, Senecam si sequimur testem (epist. 88, 22) quattuor milia conscripserit. Huius ipsius cum nomen in scholiis Choerobosci occurrat (p. 99 not., p. 204, 18. al.) atque id bis in eis rebus explicandis, quae Hesiodei huius carminis quam maxime propriae sunt, nihil manet dubium ex eius commentario Hesiodeo aliquo excerptas esse eas sententias. Accedunt explicationes eius rationem redolentes, Aristarchi rerum vel verborum explicationes p. 99 not., p. 103, 6, Eustath. ad Iliad. I, 122, 36; variae lectiones vel explicationes antiquissimorum grammaticorum: Aristophanis apud Eustath. ad Iliad. I, 122, 40, Apollonii Rhodii p. 447, Cratetis Mallotae p. 318, 23, Comani p. 103, 4, Callistrati et Eratosthenis p. 343, 14, Seleuci p. 102, 10. 326, 27, Clitarchi (ex glossarum libro) p. 316, 3 etc.; lectiones grammaticorum, quorum nomina non affert: Etym. Magn. p. 261, 1. 333, 6; Etym. Magn. 48, 47; Zonar. p. 112; explicationes ita factae, ut comparatae cum simillimis scholiorum Homericorum vetustissimam originem, Didymi nimirum commentarium, certo demonstrent, ex. gr. p. 244, 5, Etym. Magn. p. 675, 34, Eustath. ad Iliad. IV, 86, 7, Etym. Gud. p. 469, vv. 7, 13, 42, scholium ad *Σ* 486; p. 254, 1, Etym. Magn. p. 83, 7, Eustath. ad Iliad. IV, 123, 38—41, Etym. Gud. p. 44, 50, scholium ad *T* 22; p. 338, 1, Etym. Magn. p. 440, 38, Etym. Gud. p. 252, 45 et p. 253, 7, scholia *B* 48, *Z* 201, *H* 433; et

quae sunt huius generis alia. Erant igitur Didymi commentarii Hesiodei.

Libris Aristonici et Didymi ad vetustissima scholia facienda sufficientibus erant, qui pro diligentia sua afferrent recentiorum quoque quasdam sententias additis semper nominibus (Philonis, Alexionis, Apollonii Archibiu al.); quorum operibus Didymum ipsum usum esse ne credamus, temporibus impedimur. Raro nunc haec nomina leguntur, sed dubitem, an id genus adnotationes omissae sint et ante Choerobosci aetatem et ab illo ipso et longe plurimae ab excerptoribus. Praecipui autem fontes Aristonici et Didymi scripta fuere.

Longe gravior est quaestio, scripseritne Aristarchus, quem edidisse una cum Theogonia Opera quoque constat, huius carminis commentarium, cuius sint in vetustissimis scholiis excerpta. Ego cum pugnem cum criticis recentioribus[1]), nego ullum huius rei traditum esse testimonium aut ulla in scholiis nostris fragmenta ὑπομνημάτων Aristarchi inesse, quae illi sibi finxerunt[2]). Adducti sunt Waeschkius et Flachius ad illam opionem a Lehrsio, qui rectissime observavit non potuisse ab eo, qui Homericis studiis tantam operam navaret, Hesiodum, imprimis Theogoniam, neglegi. Qua sententia probata et statim amplificata persuaserunt sibi hanc ob ipsam rem necessario Aristarchum commentarios conscripsisse Hesiodi carminum, cum Lehrsius Aristarcho Hesiodum et imprimis Theogoniam necessario notam fuisse contendisset. Praeterea Flachius probavit, et probaverunt post eum omnes (mirabile dictu!) Waeschkii interpretationem unius loci (l. l. p. 155), in quo dixit inesse testimonium ab Aristarcho conscriptorum ὑπομνημάτων Ἡσιόδου, Choerobosci in scholiis ad v. 84, cuius loci excerpta traduntur in Etymologicis, Gudiano et qui cum eo plane consentit libro Parisino (ed. Gaisf. p. 99 not.). Gudianum exhibet haec p. 73, 26: Ἀργειφόντης· παρὰ ἐναργεῖς τὰς φαντασίας ποιεῖν, ὥς φησιν Ἀλεξίων καὶ Ἀρίσταρχος,

1) Waeschkius in comm. sem. phil. Lips. in hon. G. Curtii conscriptis Lips. 1874, p. 151 sqq., H. Flachius in „Gloss. et Schol. etc." p. 118 sq.; nuper de hac re dubitanter disseruit Cohn in lexico Pauly Wissowae III, p. 872.

2) Waeschkius l. l., Flachius Jahrbb. CXV p. 436.

κτέ., contra Parisinus: Ἀργειφόντης παρὰ τὸ ἐναργεῖς τὰς φαντασίας ποιεῖν, ὥς φησιν Ἀλεξίων καὶ Ἀρχίας καὶ Ἀρίσταρχος; et in utroque libro (Gud. p. 71, 41, Paris l. l.) legitur: Ἀργειφόντης. παρὰ τὸ ἐναργεῖν (lege — εῖς) τὰς φαντασίας ποιεῖν. οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήσει Ἡσιόδου. Post haec omnibus locis afferuntur sententiae aliorum grammaticorum, velut Didymi et Tryphonis. Recte cum sine dubio vidissent Waeschkius et Flachius illas duas sententias ex uno fonte profluxisse, ille approbante Flachio hunc in modum disputavit: in quadam ὑπομνήσει fuisse illas Alexionis Archiae Aristarchi sententias; cuius libri qui auctor esset, nos quidem ignorare; sed de Archia vel de Alexione cum tale quidquam traditum non esset (at de Aristarcho?) neque esset, cur alterutri id opus adscriberemus, fieri verisimile ὑπόμνησιν conscriptam esse ab Aristarcho, ad quem duceremur aliis quoque argumentis (de quibus postea). Quae sententia quomodo tandem potuit omnibus probari! Unus idemque auctor Etymologici Gudiani duobus locis parvo spatio distantibus agit de eadem re; altero loco profert sententiam aliquam, quam dicit tribus a grammaticis esse pronuntiatam, Alexione Archia Aristarcho; altero loco eandem sententiam cum protulerit, confitetur eam se invenisse in hypomnesi Hesiodi. Nonne luce clarius est eum hac ipsa in hypomnesi invenisse illam sententiam illorum trium grammaticorum? Hancine vero hypomnesin, in qua Alexionis et Archiae sententiae mentio facta est, Aristarchi esse! Quem anno ante Chr. n. fere 144 iam mortuum esse verisimile est (cf. G. Buschii de biblioth. Alexandr. qui fuerint primis p. 50 sq.), cum Alexionem et Archiam constet saeculo primo post Chr. n. floruisse[1]). Et uno quasi spiritu productae sequuntur sententiae aliorum grammaticorum, Tryphonis, Didymi, ut illas in eadem hypomnesi invenisse auctorem Etymologici necesse sit credamus. Accedit aliud, quod scholia dicta esse nomine hypomneseos ab auctore Etymologici licet fere nube exemplorum comprobare. S. v. αἰδῶ Etym. Magn. p. 30, 40 verba ante

1) Archiam tradidit Suidas fuisse magistrum Epaphroditi, qui erat Nerva regente; Alexio secundum Ammonium p. 35 Valck. Didymi operis συμμικτά confecit epitomen.

οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι[1]) *Ἰλιάδος* exscripta sunt ex scholiis ad *B* 262 et *I* 240; s. v. *ἄμοτον* Etym. Magn. p. 85, 1 quae sequuntur verba: *οὕτω μὲν Ὠρίων· ἐγὼ δε εὗρον ἐν ὑπομνήμασιν Ἰλιάδος, ὅτι κτλ.* ad verbum exscripta sunt e scholiis ad *E* 518 et ad *Δ* 440; porro cf. Etym. Magn. p. 566, 16 cum scholio *Θ* 422, et, ut ex aliis scriptoribus unum, quod primum occurrat, exemplum afferam, Etym. Magn. s. v. *βινεῖν*, ubi quae sunt ante *ὡς ἐν ὑπομνήματι Ἀριστοφάνους*, congruunt cum scholio Ranar. v. 752 cumque eiusdem ipsis erroribus. Omnem autem dubitationem tollunt verba s. v. *αἴδρις* Etym. Magn. p. 42, 40: *οὕτως εὗρον σχόλιον ἐν ὑπομνήματι Ἰλιάδος* collata cum scholio ad *Γ* 219 I p. 153 sq. Dd., et s. v. *ἀγών* ib. 15, 53: *οὕτως εὗρον σχόλια ἐν ὑπομνήμασιν Ἰλιάδος* collata cum scholio *Z* 376. Adde quod aliis argumentis licet ostendere illum Etymologici auctorem usum esse illo corpore scholiorum, quod in aliis rebus plura quam nostrum praebebat, in aliis magis deficiebat. Ex gr. ad verbum *κοῦριξ* Etym. Magn. p. 534, 1 explicandum exscripto scholio *χ* 122, cuius rei fons ipse additur: *ἐν ὑπομνήματι χ' Ὀδυσσείας*, quae sequuntur *Ἀλέξης δὲ* corrupta sunt, recte autem leguntur, si cum Villoisono (ad Apollonium s. v. *κοῦριξ*) *Ἀλέξης* in *Ἀλεξίων* commutaveris. Hoc nomen cum desit in nostris scholiis sententia ipsa optime servata, in hac parte illud corpus, quo usus est auctor Etymologici, plenius erat. Contra ad priorem sententiam ei deest nomen Aristarchi, quod in scholio nostro legitur, et sententia Cratetis immerito sine eius nomine tradita cum Aristarchea confunditur, qua in parte manifesto nostrum corpus melius est. Hunc autem hominem, qui ne ad Homerica quidem carmina interpretanda ullos commentarios antiquorum, ne dicam antiquissimorum, Aristarchi Cratetisque, adhibere potuit, num credet quisquam volutasse manibus Aristarchi quaedam hypomnemata in Opera conscripta? Immo ne Choerobosci quidem integros commentarios eum ante oculos habuisse manifesto est supra demonstratum! — Constat igitur nullum esse testimonium, ex quo fuisse concludas commentarios Hesiodeos, minimum ad Opera, Aristarchi.

---

1) Cod. Vossian. exhibet *ὑποθέσει*; lege *ὑπομνήσει*.

Destitutis autem nobis memoria scripta et nixis argumento quod dicunt ex silentio, cum tot servatis Aristonici et Didymi fragmentis nusquam Aristarchei operis mentio fiat, iam licet dicere contra traditam memoriam Aristarcho commentarios Hesiodeos adiudicari. Quod nos facere cogi multis argumentis uno ore affirmant Waeschkius Flachiusque. Atque illius scholiis ad Theogoniae v. 523 nixi sententia iam ab ipso Flachio in libro Gloss. et Schol. p. 116 sqq. optime refutata acquiesco. Finem autem fecit optimae suae disputationi p. 120 Flachius dicens, etiamsi quin commentarius ab Aristarcho conscriptus esset, non dubitaret, tamen ne unum quidem fragmentum huius operis in Theogoniae scholiis posse se invenire. Quod se ita habere mihi quoque est persuasum; at in Operum scholiis quattuor ille repperit fragmenta, vide Jahrbb. CXV p. 436. Primum autem valde admiratus frustra quaeres causam, cur inter haec fragmenta illud ex Etymol. Gudiano petitum non inveniatur, quod utrique fundamentum totius rei videbatur. Deinde, ut de tribus reliquis „fragmentis“ Flachianis ad v. 30, 693, 826 postea brevissime dicam, quae prorsus audacter atque sine ulla probabilitate adiuncta sunt, ut sit plenior numerus: unum praeter illud Etym. Gudiani etiam a Waeschkio p. 173 inter Aristarchei commentarii fragmenta positum utrique alterum fundamentum sententiae visum est, scholium Choerobosci ad v. 97 p. 103, 3. Quod statim eodem modo debile esse videbis ac prius illud. Ibi legitur: *ἔνδον ἔμιμνε πίθου· ὥς* (quod optime Lehrsius de Aristarchi stud. Hom. p. 199 sq. correxit in *πῶς*) *φησιν, ἔμεινε ἐν τῷ πίθῳ ἡ ἐλπίς· ἔστι γὰρ τοῦτο ἐν ἀνθρώποις. Τοῦτο δὲ καὶ Κόμανος ὁ ἀρχιοινοχόος τοῦ βασιλέως προὔτεινε. Φησὶν οὖν Ἀρίσταρχος, ὅτι ἡ μὲν τῶν κακῶν ἔμεινε κτέ.* Quae sequuntur, sunt corrupta, neque Aristarchi sententia recte traditur; de variis loco medendi rationibus infra dicetur. Quia vero non solum manifesto explicatur signum Aristarcheum, verum etiam affertur eius de interpretando toto loco sententia, videbantur utrique viro docto necessario haec e commentario petita esse Aristarchi ad Hesiodi Opera, — quasi necesse esset omnia ab Aristarcho de Hesiodo dicta fuisse in eius commentariis Hesiodeis. Immo in ipso scholio, ubi etiam optime dictum est de Comano *προὔτεινε*

Κόμανος, quippe quem Suida teste s. v. constet more illorum, qui *ἐνστατικοί* vocantur (cf. Lehrs. de Aristarchi studiis Homericis p. 199 sq.), confecisse librum *προστάσεις*, si Schoemannum opusc. acad. III p. 57 sequimur, vel *προτεινόμεναι ἐρωτήσεις* inscriptum, acutissime liber Aristarcheus et ipse designatur. Nam praecedentibus his verbis: *τοῦτο δὲ καὶ Κόμανος... προὔτεινε* pergit scholiasta: *φησὶν οὖν Ἀρίσταρχος*, i. e. respondit Aristarchus, Comano scilicet in libro, quem contra eum conscripserat inscripto *πρὸς Κόμανον*[1]), de quo vide scholia Homerica *Α* 97, *Β* 798, *Ω* 110[2]). Contra Comanum cum peculiarem librum conscripserit Aristarchus, non in commentariis Homericis responderit, videtur ille conscripsisse librum suum post Aristarchi *ὑπομνήματα* et *διορθώσεις* Homericas, ergo etiam post Hesiodum editum[3]), Aristarchus autem, ut editiones suas defenderet, responsionum librum vel libros composuisse. Interrogaverat autem, nisi omnia me fallunt, Comanus editione, non commentario Aristarchi usus, cur non delevisset Aristarchus versus Hesiodeos 96—98[4]), qui cum praecedentibus pugnarent atque additi viderentur a nescio quo, qui omnem spem noluisset auferri hominibus; quibus versibus deletis optimum fieri transitum a versu 95 ad versus 100 sqq. Contra hanc sententiam, qua versibus delendis interpretandi difficultates tollere studerent, disputavit credo Aristarchus atque id summo iure. Pervenit autem eius sententiae memoria in vetera scholia ex Didymi harum rerum peritissimi de hoc loco

---

1) *Κόμανος* Gaisf.; sed etiam *Κομανός* vel *Κώμανος* exstat in scholiis, nec non recentiores critici variant in scribendo nomine. *Κώμανος* videtur tradi in scholiis Venetis Homericis; quorum non dubitaverim sequi auctoritatem.

2) Cf. quoque Lehrsium, de Arist. stud. Hom. p. 20 sq., Ludwichium, Arist. hom. Textkrit. I p. 23, imprimis Sengebuschium, Homer. dissert. I p. 29 sq. Vide etiam Schoemannum, op. acad. III p. 57 et Bergkium, Zeitschr. f. d. Alterthumswiss. 1848, p. 498, cuius contra coniecturam neminem credo hodie disputaturum.

3) Verisimillimum enim est, Hesiodi carmina ab eo edita esse inter priorem et posteriorem Homeri recensionem, cuius temporis omnia eius sunt opera, quibus ad Homeri carmina melius cognoscenda operam navavit.

4) Versus 99 in illa recensione non legebatur, cf. huius dissert. III, 3.

conscripto commentario. — Iam Waeschkii Aristarcheorum hypomnematon fragmentis abiectis dicamus de Flachianis reliquis tribus ad v. 30 e scholio p. 57, 2, ad v. 693 e scholio p. 376, 14, ad v. 826 e scholio p. 459, ubi ne mentio quidem Aristarchi facta est.

Ad v. 30 est p. 57, 2 scholium Choerobosci: *ὤρη· ψιλοῦται δὲ τὸ ὤρη, νῦν γὰρ τὴν φροντίδα σημαίνει. ὅθεν καὶ ὀλιγωρία καὶ πολυωρία καὶ πολυωρῶ καὶ πυλωρὸς ὁ τὴν τοῦ φυλάσσειν ἐξουσίαν.* Quid? Choeroboscum ignorasse talia, ut ei essent consulenda vetera scholia? Immo eius ipsius haec sunt, minime Aristarchi. Cui haec verba attribuit Flachius permotus eis, quae leguntur in Homericis scholiis ad *X* 69: *πυλαωρούς· Ἀρίσταρχος θυραωρούς, θυροφύλακας.* Sed apertum est Aristarchum omnino non curavisse significationem vocis *ὤρη*[1]), totam vero vim sententiae eius inesse in eo, quod pro *πυλαωρούς* iussit *θυραωρούς* scribi. Cur autem hac de re disputaverit, nunc quoque demonstratur scholiis Homericis, quae minora leguntur, ad eundem versum, ubi haec sententia immerito Herodiano est attributa: *Ἡρωδιανὸς θυραωροὺς γράφει· πύλας γὰρ ἐπὶ πόλεών φησιν.* Nulla ergo adest ratio, cur hoc fragmentum attribuamus Aristarcho. — Eadem res est de fragmento ad v. 693 e Choerobosci scholio p. 376, 14: *τὰ δὲ φορτί' ἀμαυρωθείη· τὰ δὲ φορτία ἀφανισθῇ καὶ ἐλαττωθῇ· δύναται δὲ καὶ κατὰ συναλοιφὴν ἀκούειν ἀμαυρωθείη· δύναται δὲ καὶ μαυρωθῇ· καὶ γὰρ ἐν ἄλλοις·*

Ῥεῖά τε μιν μαυροῦσι θεοί.

Quae verba cum Gaisfordio correcta Aristarchi commentario cur vindicaverit Flachius, frustra ex me quaeres; nullum accipies responsum. Hunc in modum si progredimur, possumus ei vindicare omnia Choerobosci scholia. Sed maxime displicet, quod etiam scholium Choerobosci ad v. 826, quod est p. 447, 17—18 voluit esse fragmentum Aristarchi Flachius: *τάων εὐδαίμων· τούτοις δὲ ἐπάγουσί τινες τὴν ὀρνιθομαντείαν, ἅτινα Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἀθετεῖ.* Nam haec si esset ratio, qua nobis fingeremus opus aliquod contra omnem traditam memoriam

---

1) Ne te fallat illud *θυροφύλακας*! Haec est Didymi vocis explanatio.

hocque fragmentum talis operis duceremus, quod de huius grammatici sententia potuit temporum pro ratione iudicium ferre Aristarchus, quidni item illas Aristophanis et Cratetis, Eratosthenis et Callistrati sententias supra allatas Aristarchei commentarii fragmentis attribuat Flachius, quidni Theogoniae scholia ad v. 126 et v. 142 propter eundem Cratetem, ad v. 5 et v. 116 propter Zenodoti sententiam laudatam, quippe qui ipse optime demonstraverit Gloss. et Schol. p. 110 sq. hunc Zenodotum esse Ephesium? In his sane cautius et rectius iudicavit quam de uno illo loco supra posito. Nam fingamus hoc aliquod opus Aristarchi. Adessent sine dubio in eo et aliorum illorum grammaticorum sententiae et Apollonii ex eorum peculiaribus scriptis vel recensionibus petitae, ut de eis suum ferret iudicium Aristarchus. Quem librum qui exscripsit, — siquidem exscripsisset quisquam —, num tibi verisimile est eum ubique diligentissime sententias grammaticorum Aristarcho minorum, Aristarchi ipsius sententias ne uno quidem loco exscripturum fuisse? An dicas omnibus illis locis scholiorum perisse Aristarchi nomen, nullo nomina grammaticorum eo minorum? At cuius in scriptis omnium horum grammaticorum sententiae fuerint, videre licet; est commentarius Didymeus, ubi prorsus deerant Aristarcheae sententiae, quia ab Aristarcho commentarii Hesiodei scripti non sunt.

Ceterum Aristarcho notitiam Hesiodearum rerum addicere nequaquam dubitamus, cum saepe etiam in excerptis eius Homericorum studiorum, quae hodie in scholiis Homericis exstant, Hesiodearum rerum memor fuerit; v. scholia ad v. *Α* 222, *Β* 496, *Θ* 755, *Ι* 246, *Κ* 431, *Λ* 750, *Μ* 22, *Ν* 588, *Π* 175(?), *Σ* 100, *Χ* 119, *Ψ* 683, *Ω* 45, 827, *α* 85, al.

Hac disputatione ad finem perducta ex illis duobus, quae pro fontibus constat veterrimorum scholiorum excerptoribus fuisse, Aristonici et Didymi scriptis quae supersint fragmenta ostendamus.

In colligendis Aristonici fragmentis Flachius diligentissimus erat (vide Jahrbb. CXV, p. 437 sqq.), sed cum de permultis rebus cum eo faciam, de multis aliis ab eo discedam, alia augebo. — Ad v. 1—10 in Procli scholiis p. 4, 2 ed. Gaisf. traduntur, e quibus ab Aristarcho totum prooemium

deletum esse concludere licet: ὅτι δὲ τὸ προοίμιόν τινες διέγραψαν, ὥσπερ ἄλλοι τε καὶ Ἀρίσταρχος ὀβελίζων τοὺς στίχους κτέ., quae procul dubio e Plutarcheo fluxerunt commentario. Supra autem p. 109 vidimus Plutarchum nunquam commentarios ipsos Alexandrinorum legisse, immo editionem instructam illorum signis, quae interdum falso interpretabatur, Proclo autem ne hanc editionem quidem praesto fuisse. His si addideris neque Plutarchum[1]) neque Proclum artem criticam curasse, facile utriusque fidem et auctoritatem satis esse diminutam concedes. Quibus ab argumentis profectus nego Aristarchum obelo notavisse vv. 1—10. Nam constat de duobus huius prooemii versibus egisse Alexandrinos: de Operum v. 2 ex scholio Homerico *A* 2, et de v. 5 ex Apollonii Dyscoli de adverb. p. 562 A, (p. 152, 4 grammaticorum Graec. vol. I, 1 ed. Schneider), quod dubito an facturi non fuerint, si versus proscripsissent.[2]) Neque est Aristarchi tam audacter, ut nostrae aetatis critici saepe solent, satisque leviter propter Praxiphanis et Pausaniae plumbeum librum expungere, quae optime muniebantur, cum causa, cur a Boeotiis Heliconiis deleti sint versus, primo ipsius prooemii versu eluceat. Gaudeo me hac in re consentire cum Leone in Hesiodeis indicis Gottingensis anni 1894, qui tamen illam audaciam ab Aristarcho alienam non censet. Qui nihil aliud mihi videtur fecisse, nisi ut signa sua adnotaret atque id, nisi fallor, ad v. 1 propter id ipsum vocabulum Πιερίηθεν, cui sine dubio casus ablativi vim subesse censeret (nam nullo modo adducor, ut credam ab Aristarcho quoque Μοῦσαι Πιερίηθεν acceptum fuisse in sensum Αἰσχίνης Ἀλωπεκῆθεν et quae sunt alia pedestris et iudicialis sermonis propria); deinde ad v. 2 propter σφέτερον, qua de re infra erit dicendum; denique ad v. 5 propter ῥέα et ad v. 10 propter Doricam formam pronominis τύνη, ut in *T* 10. Tum

1) Plutarcho in Aristarchi lectionibus laudandis nullam fidem tribuendam esse ad Homerica carmina quantum pertinet, demonstravit Ludwichius Arist. hom. Textkr. I p. 72 sq.

2) Alia enim hoc loco est ratio atque in Homeri carminibus, e quibus constat Apollonium nonnunquam aliquos ab Aristarcho proscriptos versus laudavisse; cf. Ludwich. Arist. homer. Textkr. I p. 72, not., II p. 135 not.

fortasse et ad locum integrum erat signum pro Boeotiorum exemplari, cuius auctoritatem in permultis rebus dubito an secutus sit, qua erat eius eximia diligentia in antiquissimis libris adhibendis. Tanti autem ponderis fuisse librum plumbeum Aristarcho, ut eum secutus deleret decem versus, eam ob rem nego, quod vel in adiudicandis Hesiodo Theogonia et Catalogo ab Heliconiis dissentiebat. Errorem autem Procli sic expediverim, ut dicam Plutarcho iure affirmante ab Aristarcho signa esse annotata ad totum prooemium, Proclum voce signi de obelo intellecta artissime coniunxisse Praxiphanis cum Aristarchi sententiam. Quidquid est, non dubito, quin hoc ex fonte iste error in nostra scholia propagatus sit. — Quae cum ita sint, licet etiam ad v. 2 e scholio Choerobosci cl. scholiis Monacensibus (apud Usenerum Rh. M. XXII, p. 591 cum emendatione Flachii, qui iussit scribi ὅτι, scil. σημεῖον, ὅτι γράφεται δεῦτε δή nixus scholio Monacensi) Aristonici fragmentum restituere, quod cum recte perspexisset Flachius, mirum est athetesin ei esse probatam. — His adde Choeroboscea ad v. 2 p. 39, 7 (de voce σφέτερον), ad v. 5 (de voce ῥέα, propter Apollonii illam adnotationem, cf. huius diss. III, 1), denique quae sunt ad v. 10 de pronomine τύνη p. 44, 8, coll. scholiis Homericis *Z* 262 et *T* 10. — Ad v. 8 erat signum Aristarchi et Aristonici vocis βρέμειν explicatio, cuius reliquiae nunc in scholiis Choerobosci p. 41, 2 supersunt, id quod voce κυρίως pro ὅτι κυρίως posita satis demonstratur[1]). Nec non p. 42, 9, ubi Homerus comparatur cum Hesiodo, signum exstat certissimum Aristarchi σημείων et Aristonici explicationum. Sed in ipsis verbis fragmenti restituendis plus inest difficultatis quam aliis locis, nisi quid adiuvamur scholiis Homericis similibus, quae supra p. 124 attuli. — Ad v. 11 adnotavit Aristarchus signum, id quod elucet e scholio Choerobosci p. 45, 1, ab Aristonico hoc modo explicatum: ὅτι λαμβάνεται ἑαυτοῦ, ἐπειδὴ ἐν τῇ Θεογονίᾳ (v. 225) μίαν γέννησιν παρέδωκεν ἐρίδων. Sed nisi egregie fallor, hoc loco non intellecta magistri ratione Aristonicus διπλῆν, qua utebatur ille πρὸς τὰς ποικίλας χρείας,

---

1) De quibus artis vocabulis cf. Lehrsium, de Aristarchi stud. Hom. p. 3 sqq. et Flachium, Gloss. und Schol. p. 98 sq.

male est interpretatus, aut ipse quoque deceptus est Aristarchus. Nullo enim modo concedo nos particula ἄρα, propter quam signum posuit Aristarchus, revocari ad Theogoniae partem, quam inde concludas vetustiorem esse hac veterrima Operum parte. Nam neque in antiquissimis illos versus Theogoniae numerandos esse constat, neque ullam rem una particula uno versu posito diiudicari posse concedo. Sed ne Aristarchi quidem haec falsa sententia videtur fuisse, id quod athetesi, de qua infra sum dicturus (cf. huius diss. IV, 3), videtur comprobari. Immo cautius et rectius ille progressus διπλῆν suam nihil aliud voluit significare atque particulae ἄρα hoc loco non inesse igitur, ergo, ὡς ἔοικεν, sed illam vim propriam concitatioris dicendi generis quod est in tota parte priore, quam nos voce „profecto" Latine reddamus. Dixit ergo ex Aristarchi recta sententia nihil poeta nisi: non est unum profecto genus ἐρίδων, sed sunt genera duo, cum moneret ne unam ἔριν, malam scilicet, de qua primo cogitaveris, esse censeremus. Neque est haec vis aliena a particula, immo inest etiam in particula Litavica ir, cui cum illa forma eadem est,[1]) et in composito γάρ, quod est *γ' ἄρ.[2]) Et inveniuntur versus, qui prorsus idem videntur esse, nisi quod minimum interest inter eos addita vel omissa illa „profecto" particula, velut

op. v. 69 ὣς ἔφαθ'· οἱ δ' ἐπίθοντο Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι
I 50 ὣς ἔφαθ'· οἱ δ' ἄρα πάντες ἐπίαχον υἷες Ἀχαιῶν.

Denique manifesto comprobatur sententia nostra Timocreontis illa huius versus imitatione:[3])

οὐκ ἄρα Τιμοκρέων μοῦνος κτἑ.,

quod simili modo vertas: non est profecto unus Timocreon, qui.... (ut tu credideris), minime vero cum Goettlingio in commentario versui Hesiodeo adscripto: früher glaubten einige, aber es war nicht. Hanc igitur vim vocis ἄρα ut eis qui legerent in mentem revocaret, addidit signum Aristarchus nec est, cur in eius doctrinam invehamur; re autem non bene perspecta Ari-

1) Vide K. Brugmann, Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1883, p. 33 sq.
2) Sed contra dicit H. Weberus Philol. Rundsch. IV, p. 1078.
3) Bergk. PLG fr. 3.

stonicus istam quam legimus adnotationem adiecit. Neque rationem, ex qua ab Aristarcho versus 105 deletus esset, intellexit. Sed etiam cum adessent multa auxilia, quibus nisus inveniret veram Aristarchi sententiam, non raro ille errabat, id quod ex Homericis Aristarchi studiis comparatis Aristonici Didymique scriptis cognoscitur (cf. Ludwich, Arist. hom. Textkr. I, 40 sq., 67 sq). Hoc tamen loco ne Didymus quidem rem recte perspexit perductus credo ad sententiam, quam sibi finxit, falsa illa quae tradebatur Aristarchea.[1]) Dicit enim in excerpto scholio Choerobosci[2]) p. 44 not. y Ἀνωστέον (lege [οὕτως] ἀναγνωστέον) ἔστω σοι καὶ τό· οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην· διὰ τί εἶπεν οὐκ ἄρα μοῦνον, πρὶν εἴπῃ τίνος; εἶπε τὸ οὐχὶ πῶς ναί· εἶπε γὰρ ἐν τῇ Θεογονίᾳ, ὅτι ἓν γένος ἐστὶ φιλονεικίας, καὶ ὧδε ἔμελλεν εἰπεῖν, ὅτι δύο εἰσίν· καὶ εἶπε τὸ οὐχὶ τάχα ὅτι ἐψεύσατο ἐν τῷ εἰπεῖν, ὅτι ἓν γένος ὑπάρχει φιλονεικίας. Neque moraremur in hac falsa Didymi interpretatione, nisi adesset vestigium aliorum quoque doctrinae et studiorum. Nam illo οὕτως ἀναγνωστέον manifesto demonstratur fuisse in pleno scholio allatas varias lectiones. Mutavere scilicet viri docti illud ἄρα, quo ad Theogoniam se necessario duci sibi videbantur. Contra Aristarchi signum erat ad versum, quod in eo aliud exhibetur quam alio loco Hesiodeo.

Ad v. 14 scholii Choerobosci p. 47, 11 vocabulum ἐκ παραλλήλου pro ὅτι ἐκ παραλλήλου Aristonici doctrinam ostendit et iure a Flachio allati sunt similes Aristonici loci ex Homericis studiis ad δ 685, ι 261, μ 92, recte etiam verba restituta (Jahrbb. CXV, p. 437): ὅτι πόλεμον καὶ δῆριν ἐκ παραλλήλου εἶπεν. Tamen, cum dubitaret de explicatione signi, etiam ὑπερβατόν esse dixit Aristonicus in scholio Choerobosci p. 48, 33; quam vocem supra p. 79 seiunximus a sequentibus, quae

---

1) Nam Didymi de Hesiodo libros conscriptos esse post Aristonici etsi pro certo demonstrari nequit, tamen fit veri simile comparatis utriusque studiis Homericis, qua de re disseruit Ludwichius hom. Textkr. I p. 51 sq. comprobata ea Lehrsii sententia, ex qua Aristonicus librum suum scripsit, antequam Didymi opus in vulgus editum est.

2) Verba sunt Choerobosci, sententia procul dubio Didymea, id quod demonstratur voce ἀναγνωστέον manifesto artis criticae adhibitae indicio.

cur Aristonico demus, nulla est causa. Sed erravit ille; nam est revera hoc loco vocabulum *δῆρις* significatione „pugna, certamen" adhibitum *ἐκ παραλλήλου* cum voce *πόλεμος*; cf. sanscriticum durvāmi, *P* 158, *ω* 515, Etym. Magn. p. 266, 32. — Certo Aristonici sunt illa Choerobosci ad v. 28 de voce *κακόχαρτος* p. 55, 34: (*ὅτι*) *ἀμφίβολον τὸ κακόχαρτον, ἤτοι γὰρ ἡ κακοῖς χαίρουσα, ἢ ἐφ' ᾗ οἱ κακοὶ ἐπιχαίρουσιν*; hoc enim quoque loco Aristarchi *διπλῆ* fuit. — In Choerobosci scholio ad v. 51 p. 78, 9 sunt quaedam Aristonici, sed quid ille dixerit et quod fuerit signum Aristarchi, difficile est dictu. Tamen quod optime videtur sensisse Aristarchus de consensu qui dicitur fabularum, quae sunt de Pandora in Operibus et de Iapetonidis in Theogonia, dubito an ab eo hoc loco *ὀβελὸς καὶ ἀστερίσκος* positi fuerint propter Theogoniae v. 567 et molestissimam Iovis nominis repetitionem. De qua re vide postremam huius dissertationis partem. Signi autem, quod diximus, memoria conservata est in scholio Choerobosci ad v. 51 p. 79, 1 quam maxime corrupto a Tzetza: *σημείωσαι* (lege *ἀθετεῖται*[1]) *δέ, ὅτι νεφεληγερέτην καὶ τερπικέραυνον* (adde *καὶ μητιόεντα*) *Δία* (*τὴν Εἱμαρμένην* Tzetzae sunt verba notam ob causam supposita) *λέγει*. — Porro Aristonici est scholium Choerobosci ad v. 60 p. 85, 8, quod tamen non ad Operum versum, sed ad Theogoniae v. 927 pertinet (cf. scholia Homerica *Ξ* 338, *ϑ* 312). Hoc loco probatur a Choerobosco, ut decet bonum interpretem, etiam Theogoniae scholia veterrima inspecta esse, sicuti eum multis locis invenimus Homerica quoque scholia adhibentem. De versu 60 igitur fusius disputavit et exemplum Theogoniae versus attulit, cuius rei in excerpto scholio casu mansit vestigium nunc omni conexu destitutum. — P. 96, 14 exstat Procli ex commentario Plutarchi petitum testimonium, ex quo versui 79 obelus fuit adscriptus, ab Aristarcho scilicet, qui etiamsi non a Proclo nedum in excerptis scholiis nominatur, tamen his omnibus locis auctor grammaticarum rerum est statuendus. Signa enim libri illius,

---

1) Verbo *σημειοῦσθαι* semper est vis activa. Quod si mavis retinere, restituendum est aut subaudiendum nomen Aristarchi, et scribendum *σημειοῦται*.

quo Plutarchum usum esse supra p. 108 est demonstratum, Aristarchea sunt, cum recensiones grammaticorum, qui ante Aristarchum ediderunt Hesiodi carmina, e quibus unum Apollonium Rhodium novimus, haec signa non videantur habuisse, Seleuci autem recensio, quae una post Aristarcheam facta innotuit, certo a Plutarcho non sit adhibita. Denique ille Plutarchi liber aperte consentit cum libro veterrimi scholiastae aliorumque, quos crediderim omnes usos esse recensione optimi grammatici, Aristarchi nimirum. Qua de re etiam alio loco nobis erit disputandum (v. huius diss. IV 1 et 6). Obeli igitur Aristarchei necessario fuit Aristonici explicatio, sed quid disseruerit, nescimus; ipsius autem Aristarchi sententia demonstrabitur suo loco (huius diss. IV, 3). Denique moneo fortasse in Choerobosci quoque commentario de hac re esse disputatum atque ex eo scholium excerptum, quod non iam legi a nobis non mirum est, cum aliquid simile iam inveniatur in Procli scholiis, quod excerptoribus brevitatis colentibus sat superque fuit.

Contra non tribuerim Aristonico illam Choerobosci versus 85 interpungendi rationem p. 99, 10, id quod Flachius nos facere iubet p. 437. Nam etsi crederemus illo loco hanc ob causam ab Aristarcho διπλῆν positam esse, quis tandem potuit edocere Aristonicum id fecisse Aristarchum, ut hoc vel illo modo interpungeretur? — Rursus Aristonico iure assignantur, quae sunt ad v. 90 p. 100, 21, ubi comparantur Homerus et Hesiodus; ad v. 94 p. 102, 8, quia adnotationes, quibus ex ipsius poetae verbis aetas eius definitur (cf. scholia Homerica *K* 431, *I* 246, *Λ* 750, *M* 22), manifesto Aristarchea studia redolent (cf. schol. *Ω* 527 et Lehrsium de Arist. stud. Hom. p. 191, 226); ad v. 97 p. 103, 24, ubi explicatur Aristarchi διπλῆ propter καταχρηστικῶς non κυρίως usurpatam vocem θύραζέ adscripta. — V. 104 Plutarchus librum suum Aristarcheae recensionis secutus proscriptum esse tradidit statimque disputat cum eo contra athetesim Proclus p. 105, 21. Sed nego Plutarchum recte coniectasse de ratione obeli Aristarchei, quem ego adhibitum esse censeam, quod versus supervacaneus nec satis facete dictus videbatur; Aristonici autem verba haec fere mihi fingam: ἀθετεῖται, ὅτι παρέλκει τὸ σιγῇ καὶ περιττόν. —

Aristarchi signum erat et propterea scholium Aristonici ad v. 106 propter vocabulum ἐκκορυφόω, id quid videtur effici e scholio Choerobosci p. 106, 25. Nam hoc vocabulum non invenitur in Homeri carminibus, simplex verbum κορυφόω semel atque alio sensu usurpatum Δ 246 (cf. Etym. Gud. p. 339, 19; G. Curtius, das Verbum, I p. 351). Itaque ipse Aristonicus hoc loco de significatione quodammodo dubitavit, quam dubitationem explicavit eisdem fere verbis a Choerobosco servatis, quibus usus est, ubi dubitavit de ἐπήν κε κάμω et ἐπὴν κεκάμω Α 168; ubi cf. scholia. — Excipit hoc scholium Aristonici illud ad v. 118 in scholio Choerobosci p. 118, 5—6, quod firmatur illis verbis ἐκ παραλλήλου. Contra quae de v. 118 sq. sunt p. 117, 15, ea etsi ibi idem ἐκ παραλλήλου legitur, non modo non sunt Aristonici, quin etiam abiudicaverim ea Choerobosco. Neuter enim tam ignarus fuit linguae Graecae, ut affirmaret: ἐθελημοί· ἐκ παραλλήλου· ἐθελημοὶ γὰρ καὶ ἥσυχοι ταὐτόν ἐστιν. Haec verba potius sunt excerptoris, qui, cum ad v. 119 invenisset verba ὅτι ἐκ παραλλήλου neque intellegeret hoc ad voces πολλὸν καὶ ἄφθονον pertinere, quarum sane in secunda illa vis perraro inest,[1]) ignarus ea ad falsa rettulit.

Iam duo, quae Flachius assignat fragmenta Aristonico p. 438, ego nequeo eius propria ducere. Nam annotatio illa de usu, qui sit vocis δαίμονες apud Homerum, ita est con iuncta cum reliquis Proclianis p. 119, 10, ut eam potius commentario assignaverim Plutarchi, quem alia huius loci Procliana ex parte manifesto e Platonis libris sumpta necessario exposcunt auctorem; neque erat Plutarchus talium rerum neglegens. Tum, quod Flachius codicis Monacensis notam margini adscriptam ad v. 141: γράφεται φύλακες (Usener., Rh. M. XXII p. 591) fragmentum scholii censuit Aristonici, mea quidem sententia hoc fragmentum est scholii Choerobosci, Aristonici autem fragmentum restitui nullo modo potest. Nam suo loco videbis (cf. huius diss. III 4) Aristonicum aliosque re vera legisse vocem φύλακες. Qua voce restituta res prorsus alia fiebat et dignissima, de qua disputaretur;

---

1) Cf. hymn. Hom. 30, 8; de re universa vide huius diss. III, 4.

Aristarchus igitur sine dubio posuit signum suum, Aristonicus autem de versu disseruit; sed quid dixerit, nescimus. Plutarcheam huius versus interpretationem invenimus in Procliano huius versus scholio; cui simile aliquid fortasse etiam Aristonicus Didymusque disputaverunt. Inde per scholia veterrima in Choerobosci commentarium tota disputatio pervenit, multum nisi fallor ab eo mutata, quia hic nostra iam vulgata recensione usus rem totam non satis intellegere potuit. Itaque adnotavit ille, cui peritiam huius rei non denegabis, in quibusdam libris, quos meliores fortasse dixit, id quod alio loco apud Eustathium servatum invenimus, legi *φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων* pro *μάκαρες θνητοί*. Docta autem eius, quae sequebatur, adnotatione ab excerptoribus brevitatis ex studio omissa nihil iam restat nisi illud *γρ. φύλακες*. — Quod sequitur fragmentum apud Flachium e scholio p. 129, 21 ad v. 145 petitum, in eo ego quoque Alexandrinorum doctrinae reliquias inesse duxerim non improbato textu a Flachio restituto. Sed Aristonico hoc fragmentum non tribuam, quippe qui, credo, Aristarchi signum, etsi ea, quae exponitur, ratione adscriptum fuisset, non ita fuerit explicaturus; itaque equidem talia potius Didymeo commentario dem. Recte autem vidit Flachius hanc disputationem valde abhorrere ab illa Procliana.

Ad v. 158 in scholio Choerobosci p. 135, 29 inveniuntur similia quaedam illis, quae Aristonici in signis Aristarcheis ad Iliadem explicatis[1]) sunt propria. Fuerunt ergo ad hunc versum, cum constet Aristarchum in adnotationibus huius generis sibi semper fere constitisse, et eius signum et Aristonici explicatio. — P. 137, 7 ad v. 169 traditur athetesis quorundam versuum, 169 sq. scil., si verba scholii sequimur, vel, ut quibusdam placuit, versuum 172 sq. Infra autem (cf. huius diss. III, 4) cognosces non agi in scholio de his versibus proscribendis, immo de versibus, qui in nostra recensione non leguntur, nisi quod unus ex eis (169) nunc exstat in textu qui vulgatur; sed summa fertur iniuria. Qui quomodo factum sit ut in nostros libros transferretur immerito, explicari ne-

1) Cf. scholia Homerica *Α* 32, *Δ* 277, 324 et Friedlaenderi „Aristonici reliqu.“ 1853 p. 30.

quit, nisi censemus ne Choeroboscum quidem, qui hanc adnotationem ex scholiis veterrimis servavit, eum legisse in libro suo, contra explicationem totius loci, cui lemma erat versus 169, invenisse in scholiis veterrimis.[1]) Parum vero intellegens, ad quos versus sui exemplaris, i. e. talis, quale nos quoque tenemus, esset adnotatio (quod non inerant versus!), exscripsit eam servato toto lemmate. Quo factum est, ut servaretur unus conexu orbatus versus, qui nunc numeratur 169. Sequitur, id quod est gravissimum, ut Choerobosco eadem atque nobis fuerit praesto recensio. Porro non est nullius ponderis, id quod huius diss. IV, 6 erit nobis subsidio recensionis utriusque origini cognoscendae, quod haec litura versuum ab aliis atque Aristarcho facta est, cuius ergo hoc loco manifesto signa non erant apposita; nullum igitur fragmentum Aristonici operis exspectaveris. Adnotatio haec potius ex illo opere fluxit, ex quo scholiastae veterrimi hauriebant sententias aliorum grammaticorum, e commentario Didymeo. — Aristonici videtur fragmentum esse de vocabulo *ἔπειτα* in Choerobosci scholio ad v. 175, p. 144, 9. Aristarchus sine dubio ad hunc versum multis de causis dignum accurata interpretatione posuit diplen, id quod, cum ex Aristonici explicatione, qui vocabulum *ἔπειτα* dixerit *περισσόν*, exspectes obelum, probatur Didymeo commentario (cf. infra), ubi de versu est ut de genuino disputatum. De ratione Aristarchei signi cf. huius dissertationis IV, 5.

Sequitur fragmentum Aristonici ad v. 189 a Flachio quoque p. 438 usurpatum e scholio Choerobosci p. 146, 26 (cf. huius diss. IV, 4 et IV, 5), quod recte num correxerit Flachius, cum pro *καὶ οὐ μάχεται* scribi iuberet *ὅτι μάχεται* et hanc ob causam coniceret ab Aristarcho obelum appictum esse versui, perdifficile dictu est. Legitur sane in codice Dorvilliano *καὶ μάχεται*, quod potuit ex parte Flachianam coniectu-

---

1) Hac ab re mihi profecto pro certo affirmari videtur posse haec veterrima scholia olim secundum alteram, quam cognosces, recensionem facta postea esse adscripta ad exemplar nostrae recensionis servatis tamen veteribus lemmatibus, quod iam per se probabile est, quippe quibus tantum versus indicarentur. Tali exemplari quodam usus est Choeroboscus. Simile aliquid evenit etiam in optimo codice Homericorum scholiorum.

ram iuvare, sed in omnibus libris traditur statim post haec verba Choerobosci disputatio, qua studet ostendere inter se non pugnare *χειροδίκας εἶναι* et *δίκην ἐν χειρὶ μὴ ἔχειν*. Hanc interpretationem videtur sane daturus non fuisse, si invenisset in fonte suo: *ὅτι μάχεται* et *ἀθετεῖται*. Nam nusquam ambigit cum Alexandrinis, sed semper eos diligenter sequitur. Itaque potius hoc quoque loco eum exscripsisse veterrima scholia credendum est. Tum sane in illis *ὅτι οὐ μάχεται* necessario legebatur. Neque has argutas differentias in vocabulis interpretandis observavisse et Aristarchum et Aristonicum ego miror, etiamsi ipse eas non probo. — Quod ante hoc fragmentum attribuit Flachius Aristonico locum ad v. 186 e scholio Choerobosci p. 148, 3, fecit summa iniuria. Nam eis, quae sequuntur apud Choeroboscum, comparatis cum nota Aristarchi de hac re sententia[1]) manifesto ostenditur tantum sibi non constare eum non potuisse. — Prorsus alia res est ad v. 199, ubi destituti scholiis nostris, sed nixi Homericis studiis Aristarcheis necessario eum diplen posuisse concludimus. Dicit enim Aristonicus ad *Θ* 455 *ἡ διπλῆ, ὅτι ἀρσενικῶς τὸ δυικὸν ἐσχημάτισται, πληγέντε ἀντὶ τοῦ πληγεῖσα. Καὶ Ἡσίοδος "προλιπόντ' ἀνθρώπων" ἐπὶ αἰδοῦς καὶ νεμέσεως ἀντὶ τοῦ προλιποῦσαι* (lege *προλιποῦσα*). Ergo hoc quoque loco Aristonici simillima explicatio fuit.

Ad versus 210 sq. pertinet athetesis Aristarchea, ut perspicuum est ex Aristonici verbis in Choerobosci scholio p. 156, 8—10 traditis. Sed ne hoc quidem loco crediderim Aristonicum recte intellexisse sententiam magistri. Interpretatus est enim hanc athetesim ita, ut videatur Aristarchus duos hos versus *γνώμην* fabellae ducere eamque abiudicare *τῷ ἀλόγῳ*. Quam Aristarchi sententiam non fuisse dubitanter sed optime iam Goettlingius in commentario ad versum et Schoemannus opus. acad. III p. 60 demonstravere; verum intellexit Aristarchus hos versus ab Hesiodo non esse scriptos, cum neque ipse, quocum lusciniam illam comparat, cum iudicibus contendisset, neque luscinia cum aquila; versus potius ab illo additos, qui, cum more posteriorum fabellam *γνώμῃ* orbatam non ferret,

---

1) Conferas, ut alios locos praetermittam, scholia ad *Α* 323, 567.

illam ipse misere confecisset perductus falsa sententia etiam nostratium nonnullis probata,[1]) ex qua toto carmine Operum quam malum sit contendere cum melioribus exponitur. — Iam dubito an hic iure adiungantur commentarii Aristonici fragmentis, quae extant cum nomine Aristonici tradita in Orionis Etymologico p. 96, 27 cum nota Lehrsii emendatione. — In scholio Choerobosci p. 191, 1 ad v. 276 est Aristonici explicatio Aristarchei signi: τὸ σημεῖον (sic cum Flachio et editionibus veteribus), ὅτι οὐδέποτε Ὅμηρος νόμον εἶπεν. Erravere Heinsius, Gaisfordius, alii, cum optimum illud τὸ σημεῖον mutarent in σήμηνον vel σημείωσαι, quippe qui cum Heinsio (ed. Gaisf. p. 280 not. 156) haec vocabula notas scholasticorum eiusdem pretii ac nostrum „nota bene" crederent; quo sensu re vera usurpantur σημειωτέον vel σημειούμεθα; cf. Γ 306, Φ 588. Sed ut ad rem redeam, est haec observatio Aristarchi optima, qua simul ostendit sibi se semper constare. Conferas enim eius sententiam in scholio ad ρ 487 et α 3.[2]) Obiter addam effici hac Aristarchi adnotatione ab eo inter Homeri carmina hymnos non esse numeratos, cum inveniatur vox νόμος hoc eodem sensu usurpata in hymno in Apoll. Del. 20. — Ad v. 293 p. 201, 25 monuimus supra p. 19 contra Usenerum (Rh. M. XXII p. 588) omnia illa esse Tzetziana neque quidquam e veteribus grammaticis ductum in iis inesse. Qui haec recte perspexerit Flachius, nescio cur inter fragmenta Aristonici p. 439 receperit. — Idem praetermisit certum fragmentum Aristonici in scholio Choerobosci ad v. 307 p. 203, 23: (ὅτι) καλιὰ κυρίως ἡ νεοττία· ἐνταῦθα δὲ καταχρηστικῶς ἡ οἰκία; cf. Choerobosci scholium ad v. 411 p. 261, 18. Verba ipsa designant Aristonicum. — Ad v. 304 inter permulta, quae Choeroboscus Didymo debet, est sub finem sine dubio Aristonici explicatio p. 204, 21: (ὅτι) μόνος Ἡσίοδος ἅπαξ τῇ λέξει ἐχρήσατο probata in initio Flachiana emendatione.

E Procli scholio p. 214, 1 vidimus p. 109 Plutarchum in exemplari suo invenisse signa quaedam (ἀστερίσκους?) ad v.

---

1) Scilicet propter v. 11 sqq. Conferas Rankium „de Hes. Op. et D. Comm." et „Hesiodische Studien" 1848 p. 3 sqq.

2) Cf. Lehrsium „Arist. hom. Textkr." p. 348.

317 sq. et cum ea non intellexisset neque adisset Alexandrinorum scripta, in quibus haec inveniret, hos versus ex Homericis carminibus in Hesiodi Opera translatos esse affirmasse. Prorsus contrariam esse rem nos docuerat scholium ad Ω 45 (cf. Lehrsium, de Arist. stud. Hom. p. 343). Hanc ob rem hoc quoque loco Aristonici explicationem signi Aristarchei exspectamus, quo revocaverit in mentem locum Homericum; sed ipsa verba restituere non licet. — Ad v. 345 in commentario Choerobosci fuerunt haec fere verba Aristonici: *σημεῖον, ὅτι Ὅμηρος τὸ ζώννυσθαι ὁπλίζεσθαι εἶπεν*; quibus Aristonici multa sua adiecit Choeroboscus, ut nunc in male excerpto scholio p. 224, 1—5 difficile sit omnia recte diiudicare. — Ad v. 353 recte concludit Flachius e scholio ad v. 74 fuisse diplen Aristarchi, quia verus inesset in his *χαρακτὴρ Ἡσιόδειος*. Quantum distat ab hac eximia critica doctrina Plutarchus, qui hunc versum cum sequentibus expungi iusserit teste Proclo p. 228, 14.

Item quam male intellexerit Plutarchus Aristarchi signa quantoque cum suo detrimento Alexandrinorum neglexerit commentarios, elucet ex eius disputatione p. 230, 7 ad v. 370, quem versum obelo notavit Aristarchus. Ita enim legas Procli scholium: *τοῦτον δέ τινες τὸν στίχον ἐξέβαλον*, in quibus cur *τινές* Aristarchum et Aristonicum designaret, iam demonstravimus p. 129 sq. E Plutarchi disputatione contra hanc athetesim scripta quispiam concluserit versum deletum ab Aristarcho esse quasi indignum Hesiodo; at clare ratio Aristarchi cognoscitur. In vit. Thes. c. 3 Plutarchus laudato Thesei avo Pittheo dixit Hesiodi versum 370, quem affert, a multis, inter hos etiam ab Aristotele, Pittheo adscriptum fuisse. Accedit Pausanias, qui se ipsum l. II 31, 3 affirmat legisse libellum quendam Epidauri editum, qui huic eidem Pittheo attribueretur. Quid autem verisimilius quam Aristarchum, quod versus etiam in Pitthei libello legebatur, eum si non Pitthei ipsius at certo proverbii instar atque Hesiodi non proprium censuisse? Hac de re egisse in explicatione Aristonicum coniectando affirmare licet. — E scholio Choerobosci ad v. 378 p. 238, 5 optime cognoscitur hunc versum ab Aristarcho *ὡς ἀδιανόητον* obelo signatum esse. Deest, ut solet, eius nomen, sed adest verbum *παρέγγραπτον*, quo ad signa

Aristarchea necessario ducimur. De Tzetzae verbis illis *οἱ περὶ Πρόκλον καὶ Ἀρίσταρχον ἢ Πλούταρχον*, quae multum offendebant Usenerum Rh. M. XXII, p. 579 (cf. Waeschkium de Arist. stud. Hes. l. l. p. 168) et Flachium p. 439, supra verba fecimus p. 19 et 39. Etiam in hoc versu proscribendo optimam sententiam Aristarchi recte explanavit Schoemannus op. ac. III p. 61 sq. uno commisso errore in discernendis scilicet versibus prioribus, de quibus suo loco erit dicendum. Sunt enim varii propter recensionis varietatem. — Fuisse signa ad v. 411 elucet e scholio Choerobosci p. 261, 18, cl. supra p. 135. Similem ob causam posuit Aristarchus diplen etiam ad v. 441 (cf. scholium Choerobosci p. 280, 21), ubi verba scholii aliquid corrupta sunt, cum hunc fere in modum Aristonicus scripserit: *αἰζηός· σημεῖον ὅτι κυρίως ὁ νεανίας· νῦν δὲ τὸν τέλειον ἄνδρα φησίν.* In scholio autem, quod nunc legitur, vox *σημείωσαι* ex *σημεῖον* per corruptelam orta haec omnia transsiluit et initium fecit enuntiati sequentis *περὶ τῶν ἑπτὰ ἡλικιῶν.* Causa est aperta. Excerptor, cum quae vis inesset in voce nesciret, ratus signum admonendi eam esse non dubitabat infra loco magis idoneo qui videretur praemittere. Ceterum desunt nunc eadem de causa quae certo antea posita erant signa etiam in scholiis ad *E* 92 et *μ* 440, quibus Homeri locis item caret vox *αἰζηός* addito vocabulo *ἀνήρ*, quo semper solet instructa esse, ubi ei est non iuvenis, sed viri significatio; cf. *Π* 716, *P* 520, *μ* 83.

Porro appinxit signum Aristarchus versui 433 propter vocem *αὐτόγυον*, ut apparet e scholio Choerobosci ad hunc versum apud Eustath. ad Odyss. II 37, 35 Stallb.: *εἶθ' ὕστερον ἐξευρέθη τὸ παρ' Ἡσιόδῳ αὐτόγυον, οὗπερ οὐδαμοῦ μέμνηται Ὅμηρος.* Inde facillime haec verba efficies Aristonici: *σημεῖον, ὅτι οὐδαμοῦ αὐτογύου μέμνηται Ὅμηρος*, vel si mavis magis premere vocabulum *ὕστερον* Choerobosci nixus studio illo definiendae poetarum ex ipsorum verbis aetatis, de quo supra diximus p. 130, haec: *σημεῖον, ὅτι νεώτερος ὁ Ἡσίοδος, τὸ αὐτόγυον εἰσάγων, οὗπερ οὐδαμοῦ μέμνηται ὁ Ὅμηρος.* — Ad versum 518 erat Aristarchi *διπλῆ*, quam interpretatur Aristonicus apud Choeroboscum p. 313, 31 (cf. Etym. Magn. p. 769, 55): (ὅτι) *ἐκ μεταφορᾶς τοῦ τροχοῦ, ἐπικαμπῆ, ἢ ὀξὺν ἐν τῷ*

δρόμῳ. Reliqua, quae sequuntur p. 313, 32, ipsius sunt Choerobosci. — Ad v. 538 διπλῆ Aristarchea duas res designatas fuisse Aristonicus docet: ὅτι Ἡσίοδος τὴν κρόκην κρόκα εἶπεν, ὡς Ὅμηρος τὴν ἰωκὴν ἰῶκα, quae verba licet restituere (cf. Flachium p. 439) e scholio ad Λ 601 cl. Etym. Magn. p. 481, 28, et: ὅτι μήρυμα κυρίως τὸ ξαινόμενον ἔριον· νῦν δὲ πεποιημένον εἶπεν, restitutis verbis e scholio Choerobosci p. 321, 25, cl. scholio ad μ 170, Eustathio ad eundem versum, Etym. Magno p. 584, 40. — Signum fuisse etiam ad v. 614 videmus e scholio Choerobosci p. 354, 28, quo monebat Aristarchus apud Homerum vini inventionem non tribui Baccho. Disertis verbis hoc est dictum in scholio ad ι 198[1]. Hoc fragmento demonstratur ab Aristarcho diligenter perquisitam esse theogoniam utriusque poetae, qua re perspecta in colligendis Alexandrinorum reliquiis, quae exstant in scholiis Theogionae, summo iure utebatur Flachius. — Ad v. 628 coniuncta sunt arctissime in scholio Choerobosci p. 359, 9 ea, quae Aristonico sunt tribuenda, cum ipsius Choerobosci interpretatione, qua re non perspecta et cum ignoraret Flachius hoc scholium Proclique illud ad v. 45 non esse eiusdem auctoris, plane desperavit de toto loco. Res est ita instituenda. Choeroboscus cum hoc loco invenisset in scholiis veterrimis haec: σημεῖον, ὅτι ἀναφέρεται πρὸς τὸ ἄνω, ratus hoc signo versum deleri (non est tamen nisi διπλῆ propter παλιλογίαν) attulit sua ex mente: ἀλλὰ ἐκεῖ κατακαῦσαι σημαίνει, id quod etiam exemplo Homerico Β 399 studebat comprobare. Neque „prorsus perversa" est ratio, ut putat Flachius; quam etiamsi accipere nolim, quia nullam video causam eadem verba similibus locis alium in modum interpretandi, tamen neque alienam eam esse a sententiarum priore loco conexu optimeque firmari allato Homerico exemplo[2]) non dubitaverim contendere. Qua re demonstratur Choerobosco ne locos poeticos quidem interpretandi aliquam laudem esse denegandam. Neque perverse haec

---

1) Memor sis emendationis Lobeckianae in Aglaophamo p. 287. Conferas Lehrsium „de Arist. stud. Hom." p. 183.

2) Conferas etiam Eustathium ad Iliad. p. 245, 5, 750, 42, 877, 1; Etym. Magn. 409, 55; Hesychium s. v. καπνίζω.

interpretatio ipsi attribuatur Aristarcho,[1]) id quod unam ob causam improbo, quod Mitscherlichii explicatione a Passovioque collato versu τ 7, sensus rectus efficitur significatione scilicet verborum vulgari non mutata; neque ego Aristarchum minus peritum crediderim.

Ad v. 637 equidem moneo, ne attingamus Procli scholia, id quod fecit Flachius p. 439, in quibus, ubi ex Plutarcheo commentario obscuras memorias proscriptorum versuum non invenis, certo aliud quidquam ad Alexandrinorum studia pertinens ne exspectaveris; sed in Choerobosci scholio p. 363, 15 propria leguntur Aristonici verba ἐκ παραλλήλου. — Ad v. 641 erat signum Aristarchi propter vocabulum τύνη, ut ad versum 10, et Aristonici eadem explicatio, sed huius rei nullum est vestigium servatum in nostris scholiis, cum illud p. 364, 30 conscriptum ducam a Tzetza memore eiusdem scholii Choerobosci ad v. 10. In pleno commentario tamen Choerobosci ne hoc quidem loco id genus adnotatio deerat, aut relegebantur qui legebant ad locum priorem, id quod factum esse aliis locis iam vidimus. — Versum 649 delevisse videretur Aristarchus propter sententiam ibi expositam, si Aristonici explicationis nobis recte essent servata vestigia: σημεῖον, ὅτι ἀθετεῖται ὁ στίχος οὗτος· εἰπὼν γὰρ εἶναι ἄπειρος ναυτιλίας, πῶς ὑποτίθεται αὐτήν; quam in scholio suo p. 367, 13 servavit Choeroboscus (ubi in initio corrupte legitur σημειοῦται ὁ στίχος οὗτος falso inter se commixtis duorum excerptorum verbis: σημειοῦται τὸν στίχον τοῦτον (sc. Ἀρίσταρχος) et ἀθετεῖται ὁ στίχος οὗτος). Nec tamen ego dubito affirmare hoc loco paulo audacius, quam solebat, progressurum fuisse Aristarchum, hunc versum si delevisset; nam qui sequentia salva esse voluit (neque quidquam contrarii nobis traditum est), ei hic versus imprimis servandus erat, quo illa reliqua inducerentur. Itaque nihil hoc loco Aristonici esse contendo nisi memoriam signi cuiusdam, quod ad hunc versum fuit appositum. Cum autem excepto hoc uno vocabulo σημεῖον omnia alia Aristonici deperdita essent, fuit qui, ut signum explicaret, ignota ratione Aristarchi adderet eam, quae ei maxime propria videbatur[2]). — Ad v. 720 diplen

1) Confer enim loco priore ἔργα βοῶν ἀπόλοιτο; quo facto oportebatne πηδάλιον quam optime conservare?

2) De versibus 641—662, imprimis de versu 649, confer, quae ex-

apposuit Aristarchus, quod cur fecerit hodie difficile dictu est. Ad rem expediendam in scholio Choerobosci videntur quaedam esse Aristonici servata p. 389, 18, unde petivit Flachius haec p. 439: (ὅτι) λείπεται τὸ ἐστίν, et (ὅτι) ἔστιν ὑπέρβατον. Sed ego neque ea de causa crediderim ab Aristarcho signum esse appositum, quia, ibi si annotavisset, ei ad unum quemque versum erant signa annotanda, cum in omnibus non minus gravia adessent; neque ubi ὑπέρβατον sit in hoc versu, intellego. Coniectando autem statuam hoc loco Aristonico fuisse scribendum: σημεῖον, ὅτι ἐκ παραλλήλου φειδωλῆς καὶ τὸ κατὰ μέτρον ἰούσης (cf. Etym. Magn. p. 791, 15); vel, ut altius recedam, signum fuit, quod apud Homerum non invenitur adiectivum φειδωλή, quod *X* 244 est substantivi in usu. Iterum autem atque iterum cognoscis etiam Aristonico uno quoque loco rationes Aristarcheas fuisse coniectura reperiendas. Sed in hac re tutiorem nobis sequebatur rationem, quod non solum uno quoque loco certo videbat, quod signum ab Aristarcho esset positum, sed etiam plurima scripta Aristarchea praesto erant, in quibus si non eam ipsam at simillimas res tractaverat. — Ad v. 734 positum signum explicabat Aristonicus, ut ex scholio Choerobosci p. 396, 4 elucet, hoc modo: (ὅτι) κυρίως μὲν λέγει τῇ ἑστίᾳ οὐχ ὡς θεᾷ· νῦν δὲ ἐπὶ τοῦ πρώτου τῷ ἐν τῷ οἴκῳ βωμῷ. — Porro licet aliis similibus Aristonici observationibus in scholiis ad *Ψ* 29, *γ* 309, *δ* 647 nobis nixis suspicari ad v. 735 quoque fuisse signum Aristarchi, ut ostenderetur τάφον in sensu περίδειπνον usurpatum, cuius rei in scholiis nostris nullum mansit vestigium. Illa enim, e quibus hoc fragmentum attribuit Aristonico Flachius p. 440, sunt vera Procliana, e quibus nihil de Alexandrinorum explicationibus recte concludimus; e Plutarcheo commentario ea sumpta esse vidimus comparato loco simili in libello de sera num. vind. p. 562 a (ed. Bern. III 451). — Fallitur idem Flachius, qui in scholio Choerobosci p. 400, 23 Aristonico omnia attribuerit, scilicet quia nominis Aristarchei eiusque atheteseos illic in fine mentio est facta. Primo autem aspectu intelleges, cum adnotentur

---

posuit auctor huius dissertationis in „Philologisch-historische Beiträge für Curt Wachsmuth" p. 208 sqq.

coniecturae aliorum grammaticorum, non esse hoc scholium Aristonici, sed illius, in quo harum rerum erat summa diligentia, Didymi. Nihilominus cum distincte dictum sit esse obelum huic versui ab Aristarcho adscriptum, inde efficitur etiam ab Aristonico nonnulla de hoc signo esse dicta. Cuius verba haud scio an fuerint: ἀθετεῖται, ὡς ἀδιανόητον. Hoc enim e Didymeo fragmento videtur sequi, qui cum varias grammaticorum coniécturas, qui versus sensum quendam coniecturis suis efficere temptabant, adnotasset, postremo loco posuit Aristarcheam athetesim in ea videlicet acquiescens. De qua re vide Didymi fragmenta infra collecta.

Neque illud est Aristonici fragmentum, quod Flachius p. 440 constituit ad v. 746: ἀνεπίξεστον· (ὅτι) ἔνιοι γράφουσιν ἀνεπίρρεκτον, quibus verbis ipse Flachius addit haec „scripturam a Proclo(!) memoriae proditam praebet cod. Flor. O“. At fuit Aristonici liber περὶ τῶν σημείων (sc. τῶν Ἀριστάρχου) τοῦ Ἡσιόδου. Semper sibi fines quam arctissime circumscribebat Aristonicus rarissime allatis aliorum grammaticorum opinionibus, ut apparet ex Homericis signis ab eo illustratis. Et quis demonstrabit illos ἐνίους Aristarcho fuisse maiores natu? Apollonium[1]) dixeris, sed hic unus ἔνιοι? Et hoc tene, illo loco ne unum quidem vestigium signi inesse (ὅτι addidit ipse Flachius) in scholio. Immo ipsa voce ἔνιοι vetamur de Aristarcho cogitare (cf. Ludwichium, Arist. hom. Textkr. I, 120 sq.), et iterum, ut in scholio modo dicto, quod variorum grammaticorum sententiae exhibentur, manifesto ea re ostenditur fragmentum Didymeum, de quo infra erit dicen-

---

1) Reliqui grammatici Alexandrini, qui ante Aristarchum floruere, non videntur Opera recensuisse. Zenodoti (cf. Flachii librum „Schol. und Gloss. etc.“) fit sane mentio in scholiis Theogoniae, sed locis, e quibus ego potius eius commentarios agnoverim. Aristophanes vero Theogoniam certe recensuit (v. Flachii l. l). Cuius uno loco, quo ad Opera laudatur (v. supra p. 112), affertur sententia e Glossis, et grammatico scholiastae Scuti tam erat ignotus, ut haec diceret (cf. hypothes. III): Ἀριστοφάνης, οὐχ ὁ κωμικός, ἀλλ' ἕτερός τις, γραμματικός κτἑ. Re vera ne Apollonii quidem de recensione procul dubio stat, nam eodem loco quo illa Aristophanis fit mentio, legimus Ἀπολλώνιος ἐν τῷ γ', quibus verbis sine dubio dicuntur commentarii; hanc ipsam ob causam ab eo recensionem quoque esse curatam non statuerim.

dum. Sed laudandus est Flachius, qui recte intellexerit, unde duxisset originem lectio codicis Laurentiani. — Denique adiungas Aristonici fragmentis illam explicationem ad v. 775 e scholio Choerobosci p. 424, 34: *πείκειν*· (ὅτι) *κυρίως τὸ ξαίνειν* (ὅθεν καὶ τὸ· *πεξαμένη χερσί*)· *νῦν δὲ τὸ κείρειν*. Verba produnt auctorem. Sed nullo modo adducor, ut cum Flachio etiam illud Procli scholium p. 426, 20: *ἴδρις δὲ νῦν ὁ ἔμπειρος μύρμηξ* ducam interpretationem ullius signi Aristarchei. Quod cur putas appictum esse? Minime sane, ut indicaret: *ὅτι κυρίως μὲν λέγει ἔμπειρος, νῦν δὲ μεταφορικῶς ὁ μύρμηξ* (Flachius p. 440). Quod nunquam dixisset Aristarchus; nam pugnat cum omni genere dicendi Homeri Hesiodique. Neque quidquam aliud hoc loco id significat vocabulum, nisi proprie *ἔμπειρος*, neque Procli *μύρμηξ* aliud voluit, nisi alio verbo dicere illud ipsum subiectum, quod legitur in enuntiato antecedente *ἀράχνης*. Accedit, quod est hoc Procli scholium. — Neque illud, quod postremum Aristonico attribuit fragmentum Flachius p. 440 ad versum 820 ex eiusdem Procli scholio p. 444, 26, eius esse dico nulla ratione comperta, quam propter ullum signum ab Aristarcho positum nobis fingamus. Nam post *παῦροι δὲ* supplendum esse *ἴσασι* luce clarius est. Vel hoc igitur loco ut semper apparuit e Procli scholiis Alexandrinorum reliquias restitui non posse.

Haec sunt Aristonici reliquiae, quotquot supersunt in nostris scholiis. Iam ad Didymei commentarii fragmenta colligenda accedamus, cum unus, qui adhuc ea colligere conatus sit, Mauricius Schmidtius (Didymi Chalcenteri quae supersunt omnia p. 300), unum invenerit ad v. 302 neque de illo non dubitaverit. Sed accuratius rem perscrutanti menteque tenenti illa, quae supra de Didymi commentario diximus, erunt multo plura eius fragmenta in nostris scholiis manifesta. Omnia vero, quae ad Didymeum commentarium pertinent, conservavit Choeroboscus in commentario suo ex scholiis vetustissimis hausto exceptis uno vel duobus locis, quos licet divinando e Plutarchi adnotationibus de signis scriptis restituere. Nam hoc procul dubio stat, quod etiam fragmento ad v. 740 optime confirmatur, Didymum quoque diligentissime perquisivisse, quid de quoque Hesiodeo loco Aristarchus censuisset; nec mirum

in eo, qui aliorum quoque criticorum Aristarcho minorum opiniones in commentario conscribendo non neglexerit. Et, quamquam non contendo ab eo de una quaque sententia Aristarchea deque singulis διπλαῖς disputatum esse, quia huic commentario non erat idem finis atque operis Didymei in Homericis scholiis exscripti, quod est περὶ διορθώσεως Ἀρισταρχείας, nihilo minus pro certo affirmaverim atheteses Aristarcheas ab eo uno quoque loco esse tractatas et ad quemcumque versum appictus obelus erat, expositam esse eius sententiam Aristarchi rationibus explicatis. Exceptis autem locis duobus nunc non exstant eius id genus fragmenta, quod talia ut de Homero (cf. Ludwichium, Arist. hom. Textkr. I p. 58 sqq.), ita de textu Hesiodeo facilius inveniebant excerptores in Aristonici libro atque ea eius more longe breviora quam apud Didymum; quem eam ob causam neglectum esse non semel disertis verbis dictum in scholiis Homericis. Hanc igitur ob rem Didymea fragmenta ipsa ad v. 51, 79, 104, 105 (?), 210 sq., 370, 378, ad quos vidimus obelos fuisse adscriptos Aristarcheos, non licet restituere neque eius sententiam coniectando assequi; sed certo de his locis disputavit. Pluribus locis fortasse ipsi Choerobosco dictam ob causam non iam licebat Didymi cognoscere opinionem.

In ipsis prolegomenis, quae sunt de divisione poeseos, videntur ex parte res, nam verba ipsius sunt Choerobosci, e Didymeo commentario fluxisse. Hoc saltem constat, cum inveniamus similis in tria genera divisionis vestigia etiam in scholiis Homericis (ad Α 16 et Ζ 46), ad eundem fontem hic nos duci, ad scholia veterrima Hesiodea. Iam quo ex fonte scholiastas probabilius credamus de hac re, quae exhibent, hausisse quam e Didymeo commentario? Neque hic fuit commentarius Homericus; nam id semper tenendum, in Homericis scholiis exscriptum esse opus Didymeum, quo ageretur unice vel praecipue de Aristarchea Homerica diorthosi nulla addita fusiore disputatione; Hesiodeos contra eius commentarios, quibus scholia debemus, plenissimos fuisse. Et in his verisimillimum est eum non ἀκεφάλως ad rem statim aggressum esse, sed disputavissse etiam de his rebus, quae nunc in fragmentis Choerobosci supersunt.

Ad v. 3 multus est Choeroboscus suo more in vocabulo

ἀνήρ explicando p. 39, not. x et Etym. Magn. 107, 30, in quibus, quae sunt grammatica, certo eius propria sunt; contra quibus varius usus et significationes illustrantur Homericis e carminibus petitis exemplis, ea videntur omnia ex scholiis veterrimis a Choerobosco hausta esse, in quae verisimillimum est e Didymeo commentario ea fluxisse. — Ad v. 10 in scholiis Choerobosci p. 44 not. w et y fragmenta Didymea inveniuntur duo, quorum alterum totum est Choerobosci proprio genere dicendi compositum, in altero verba ipsius Didymi quaedam exstant (vel potius scholii veterrimi ex eius opere excerpti) satis corrupta. Ibi de vocabulo *τύνη* verba fiunt: *τύνη· ὅτι πρὸς τὸν Δία* (sententia Didymi). *Πολύζηλος δὲ ἐν Ῥοδιακοῖς Τύνην* (libr.: *τύνη*) *ἄρχοντα Χαλκιδέα* (libr.: *ἄρχονται χαλκιδία*)[1]) *φησίν, ἀφ' οὗ κρίνεσθαι τὸν Ἡσίοδον μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ. Διονύσιος δὲ φαιέ δριστοι* (?) *ἀγνοοῦντες ὅτι ἀντωνυμία ἐστὶ παράγωγος* (*Δωρικῶς*)· *ἀπὸ τοῦ τύ τύνη καὶ ἐγὼ ἐγώνη*. Polyzeli, Rhodii testibus Plutarcho Hyginoque (locos v. apud Muellerum) et *Ῥοδιακῶν* libri auctoris (secundum Athenaeum VIII p. 361 c), iam licet aetatem aliquomodo definire hoc scholio comparato, quod certo ante Didymum erat. Cur vero vocem Hesiodeam *τύνη* interpretatus sit, nemo hodie dicit, neque qui sit auctor eius quam affert sententiae; quae tam perversa est, ut eam ante Alexandrinos atque exculta ab eis grammatica studia excogitatam esse affirmem. Dionysium Thracem, qui hic dicitur manifesto, in Hesiodeis scholiis hoc uno loco laudavit Didymus, cum in Homericis id saepius faceret. (cf. *Α* 607, *Β* 111, *Ο* 86, 635, 712, alios locos, et vide Ludwichium Arist. hom. Textkr. I p. 48 sqq.) — Versum 11 ita explicavit Didymus, ut particula *ἄρα* ad Theogoniam perduceremur, de qua explicatione supra disputavi, cf. p. 126 sqq.

Ad v. 24 servatum est nobis satis amplum fragmentum Didymei operis in scholio Choerobosci p. 54, 2 et Etym. Magn. 177, 53. Prima sunt eius manifesto, id quod elucet ex his verbis Etym. Magn. p. 178, 1: *ἄφενος· ὁ ποιητὴς οὐδετέρως χρᾶται τῇ λέξει, τινὲς δὲ ἀρσενικῶς. τὸ ἀπ' ἐνιαυτοῦ περιὸν*

1) Emendationes sunt Muelleri. Cf. Fragm. hist. graec. IV p. 482.

ἐς νέωτα· ἢ ἄπενος, τὸ μὴ ἐν πενίᾳ, ἀλλ' ἐν περιουσίᾳ χρημάτων. [οὕτω Δίδυμος. cod. Paris.]

οὐδέ σ' ὀίω,
ἐνθάδ' ἄτιμος ἐών, ἄφενος καὶ πλοῦτον ἀφύξειν. (A 171).

Quae sequuntur, videntur Choerobosci esse (cf. Orionis Etymologicum p. 21). Vocabulo ὁ ποιητής usus hoc loco, ni fallor, Didymus poetam, quem tractat, Hesiodum dicit, etsi, quae profert, etiam quadrant in Homerum, de quo agi suspicatus sit quis propter Orionem. Ab ἐνιαυτός duxit originem vocis ἄφενος etiam scholiasta ad *A* 171. Conferas M. Schmidtium p. 401. — Illud scholium ad v. 30 e scholio Choerobosci p. 57, 2 petitum, quod supra p. 123 abiudicavimus Aristarcho, in Didymeo commentario potuit esse: ψιλοῦται δὲ τὸ ὤρη, νῦν γὰρ τὴν φροντίδα σημαίνει· ὅθεν καὶ ὀλιγωρία καὶ πολυωρία καὶ πολυωρῶ καὶ πυλωρός, ὁ τὴν τοῦ φυλάσσειν ἔχων ἐξουσίαν. Hoc fragmentum e scholiis veterrimis in Choerobosci commentarium venisse fit probabile, cum illis temporibus similia disputata esse sciamus ex interpretatione Epaphroditi ad μ 89 ex Etym. Magno p. 117, 10 et Eustath. ad Odyss. 1715, 25. In scholia autem veterrima patebat potissimum via e Didymi commentariis. — Ad v. 41 totum Choerobosci scholium p. 64, 16 e Didymo fluxit, id quod etiam Usenerus Rh. M. XXII p. 591 recte perspexit. Verba fiunt de asphodelo et malva, et afferuntur a Didymo more eius etiam sententiae aliorum, imprimis Hermippi Callimachei, id quod manifestum fit comparato loco apud Athenaeum II p. 58 f, tum Herodori, cuius nomen ut saepissime in Ἡρόδοτος corruptum est, ex libro qui erat de Hercule, postremum Platonis (ἐν γ' τῶν νόμων); quos aliis quoque locis ab eo laudatos invenimus.[1]) — Sequitur locus, de quo fortasse cum nonnihil dubitaveris, perlectis omnibus, quae sum disputaturus, imprimis huius diss. IV 3, 'spero te amplexurum sententiam meam. Est ad v. 48, ad quem haec habemus a Proclo tradita p. 76, 57: εἰ δὲ ἀγκυλομήτης ὁ Προμηθεύς, οὕτω γὰρ γράφειν δεῖ καθὰ καὶ Πλούταρχος, Κρόνιός τίς ἐστι καὶ νοερῶς ἑαυτὸν νοῶν καὶ ἀγκύλως εἰς ἑαυτὸν ἐπεστραμμένος. εἰ δὲ καὶ ποικιλόμητις[2])

1) Conferas M. Schmidtium „Didymi Chalc. etc." p. 358, 364, 372, 378.

2) Libri exhibent ποικιλομήτης, sed consenties mecum ποικιλόμητις scribente, si perlegeris explicationem, quam dedit utriusque vocabuli ἀγ-

γράφοιτο, σημαίνει τὸν ποικίλας εἰληχότα νοήσεις κτἑ. Haec omnia e Plutarcheo commentario exscripta esse vidimus supra p. 100. Sed quaeritur, unde Plutarchus hanc lectionis varietatem sumpserit, qui nunquam de talibus rebus neque ageret neque posset agere, quippe qui non legeret Alexandrinorum commentarios, neque in exemplari suo eam inveniret, ubi talia adscribi non solebant. Fons vero eius dubito an fuerit locus similis Theogoniae (v. 496) in ea parte carminis, quae partis huius Operum semper videbatur simillima. Ubi legebatur in Plutarcheo exemplari, nisi omnia me fallunt, ἀγκυλομήτης ad Promethei nomen additum, contra in Operum versu ποικιλόμητις. His inter se comparatis malebat utroque consentire loco τὰς παραλλήλους quas vocat Sittelius in commentario ἀντιγραφάς idemque epithetum tribui Prometheo. Neque mirum eum elegisse ἀγκυλομήτης. Vocabulum ποικιλόμητις non inveniebatur aliis locis apud Hesiodum et Homerus quoque malebat ποικιλομήτης dicere[1]); contra ἀγκυλομήτης apud utrumque[2]) saepissime legebatur atque id omnibus locis epithetum Croni. Voluit autem, ut supra vidimus, Plutarchus Prometheum Κρόνιόν τινα facere. Hoc studio adaequandi alios quoque ductos suo loco videbimus et, nisi nos omnia fallunt, ne Didymus quidem ab eis dissentiebat, id quod illa ipsaexplicatione particulae ἄρα in versu 11 (cf. supra p. 126 sqq.) enotuit. Ergo de hoc quoque versu eum disputavisse crediderim, sed quid dixerit, ignotum. Quod a Choerobosco p. 75, 22 cum ἀγκυλομήτης[3]) tum ποικιλόμητις

κυλομήτης et ποικιλόμητις Proclus et cum his contuleris Eustathium ad Odyss. p. 1462, 18, qui bonum de hac re quendam grammaticum exscripsit: ὅρα δὲ ὅτι δυνάμενος ὁ ποιητὴς ποικιλομήτην Ὀδυσσέα εἰπεῖν (lege: ποικιλόμητιν, nam dixit eum poeta ποικιλομήτην, neque sensus inest in sequentibus, si -μήτην legitur), ὁμοίως τῷ εὔμητιν καὶ πολύμητιν, ὅμως οὐκ ἔγραψεν οὕτως, ἐνδεικνύμενος ἐξεῖναι καὶ οὕτω φράζειν καὶ οὕτως. τὸ μὲν δηλαδή, ἐκ τοῦ μῆτις ἡ βουλή. τὸ δέ, ἀπὸ κινήσεως τοῦ μήδω ῥήματος, ἐξ οὗ καὶ ἀγκυλομήτης. Idem fere dixit etiam Nauckius Mélang. Gréco-Romains. IV p. 108 sqq. Nihil valet Pseudo-Philemon in Lexico p. 5. Osan., quocum pugnant exempla vetustissimorum poetarum, ratio, ars grammatica.

1) Vide Eustath. ad Odyss. p. 1462, 30, sed cf. εὔμητις, πολύμητις ibid., αἰολόμητις Theog. v. 511.

2) Cf. Theogoniae v. 19, 137, 168, 473, 495.

3) Libri exhibent ex iotacismo laborantes ἀγκυλομήτις.

tractantur, argumento est ab eo quoque etsi pauca quaedam lecta esse in scholiis veterrimis.

Scholium Choerobosci ad v. 52 p. 78, 23 totum tribuam Didymo propter insolitam fabulam exhibitam. — Excipit hoc magnum Choerobosci scholium de vocabulo Ἀργειφόντης p. 99, not., in Etymologicis, apud Eustathium, cuius maximam partem vel universa hausit ex scholiis veterrimis. Hanc ipsam ob causam multa ex scholio sunt ad Didymum referenda, qui insuper nominatim laudatur. Sine dubio eius sunt, in quibus antiquiorum grammaticorum traduntur sententiae, ut illa de Aristarcho; verum ubi invenimus sententias grammaticorum Didymo natu minorum, Archiae Alexionis Tryphonis, eas manifesto addidit, qui postea commentarios Didymeos excerpsit. Inde factum est, ut eorum nomina in eadem sententia explicanda vel ante Aristarchum laudarentur. Quorum nemo videtur in Hesiodum commentarios scripsisse vel recensionem carminum instituisse, cum de rebus Hesiodi quam maxime propriis quod quidem videamus ex scholio vel de rebus criticis non egerint, contra ea ratione laudentur, ut non inepte quis coniecerit ab eis lexica conscripta esse.[1]) Cui sententiae favet, quod, nisi facilis ad eos patuisset aditus, scholiasta eos non cognovisset. Nihilo minus eos videtur rarissime inspexisse Archia et Alexione uno hoc loco laudatis, Tryphone ipso quoque non saepe, velut ad v. 41 apud Eustathium ad Odyss. I 433, 24. Didymi vero fragmentum hunc in modum restituam (cf. supra p. 34 sqq.): *Ἀργειφόντης· ἐπίθετον Ἑρμοῦ* (Etym. Magn. p. 136, 48) *παρ' Ὁμήρῳ καὶ παρὰ πολλοῖς, παρὰ δὲ Σοφοκλεῖ καὶ ἐπὶ τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ παρὰ Παρθενίῳ καὶ ἐπὶ τοῦ Τηλέφου* (p. 99 not. n). *ἢ ὅτι ἀργός ἐστι φόνου, τουτέστι καθαρός· ὁ αὐτὸς γάρ ἐστι τῷ λόγῳ* (Etym. Magn. l. l.)· *εἰρηνικὸς γὰρ ὁ θεός, ὅπερ Ὅμηρός φησι· διὰ τῆς Ἴριδος γίνονται ἀγγελίαι ἐν τοῖς πολέμοις καὶ οὐχὶ διὰ τοῦ Ἑρμοῦ·* (Etym. Gud. p. 71, 51)· *ἢ ὁ ἐν Ἄργει πρῶτον πεφηνώς, ὁ γὰρ Ἑρμῆς πρῶτον ἐν Ἄργει ἐφάνη* (Etym. Magn. p. 136, 49)· *ἢ ὁ ἐναργεῖς τὰς φαντασίας ἀποτελῶν, ὡς Ἀρίσταρχος· ἢ ἀρι-*

1) De Alexione et Tryphone conferas scholia Homerica; de Archia praeter hunc locum etiam Apollonii lex. Hom. 156, 26—29; Cramer. An. Par. IV 179, 26, 193, 15.

φόντης τις ὤν, ὡς μεγάλως φανταζόμενος τοῖς ὀνείροις (p. 99 not. n), ὡς γὰρ ἀρίζηλος ἀρίδηλος, οὕτω καὶ ἀριφόντης παρὰ τὸ ἀρι τὸ ἐπιτατικὸν μόριον συνετάχθη καὶ πλεονασμῷ τοῦ γ̄ Ἀργιφόντης (Etym. Gud. p. 71, 42, Magn. p. 137, 2). οἱ δὲ νεώτεροι (ποιηταί), ὅτι Ἄργον ἐφόνευσε τὸν πανόπτην (p. 99, 1) λίθῳ βαλών, κελευσθεὶς παρὰ τοῦ Διὸς κλέψαι τὴν Ἰὼ βοῦν γενομένην· ἐφύλασσε δὲ αὐτὴν ὁ Ἄργος βουλήσει Ἥρας, ἔχων ἐν ὅλῳ τῷ σώματι αὐτοῦ ὀφθαλμούς (Etym. Magn. p. 136, 53). τὸ δὲ διάκτορον ἀπὸ τοῦ διάγειν τὰς τῶν τελευτώντων ψυχάς, ὥς φησι Νέσσος ὁ Χῖος (p. 99, 2). Nessi quem librum adhibuerit Didymus, non licet dicere. Aristarchi vero sine dubio inspexit Homerica hypomnemata. — Sequuntur Aeschyli sententiae e fabula satyrica, quae Prometheus inscribebatur, petitae (ad v. 89 p. 100, 4 et ad v. 157, p. 135. 12). Didymi autem earum explicationem proferre Choeroboscum patet, nam alius de hac re fons ei, qui scholia veterrima excerpsit, nullus potuit esse; versus vero 89 totum scholium tribuo Didymo, versus autem 157 explicandi rationem, cum verba sint Choerobosci.

Ad v. 96 sq. uberrimae disputationis Didymeae vestigia supersunt exilia eaque tantopere cum aliis permixta, ut Didymus quid ipse senserit, cognoscere non liceat. Unum est certum, cum Aristarchus διπλῇ ad v. 97 adscripta (vide supra p. 130) hos versus retinuerit et studuerit explicare, invectivas in poetam factas non esse Didymi, sed eorum, qui tradita verba servanda non censuerint. — Graviter corrupta verba Didymea cum alienorum sententiis commixta scholii versus 97: ἡ γὰρ ἐλπὶς κακῶν οὐ θεῶν Waeschkius de Arist. stud. Hes. l. l. p. 164 ita corrigere conatus est: ἡ γὰρ ἐλπὶς κακῶν οὐδ' ἔστιν. Hoerschelmannus vero in act. soc. Lips. IV p. 332 magis se ad traditas litteras applicans iubet scribi: ἡ γὰρ ἐλπὶς κακῶν οὐ[κ ἔστιν ἀλλ' ἀγα]θῶν. At vide scholii verba: φησὶν οὖν Ἀρίσταρχος, ὅτι ἡ μὲν τῶν κακῶν ἔμεινε, ἡ δὲ τῶν ἀγαθῶν ἐξῆλθε, ubi affirmat Aristarchus esse quandam spem malorum, esse aliam quandam bonorum; quod manifesto pugnat cum utriusque viri docti coniectura. Itaque suspicor plura hoc loco excidisse, totum scilicet versum illius codicis, ex quo hoc scholium est exscriptum atque id eam, opinor, ob causam, quod duorum versuum in fine eodem exarato vocabulo κακῶν ab

altero ad alterum librarii aberraverunt oculi; qua re lacunam sic expleam: *ἡ γὰρ ἐλπὶς κακῶν [τέ ἐστι καὶ ἀγαθῶν. ἀλλ' ἀνθρώπων ἐστὶ τὸ τὴν ἐλπίδα προέχειν τῶν κακῶν], οὐ θεῶν. ὁ δὲ Ἡσίοδος ἀκύρως ἐπὶ κακῶν εἶπε*, scilicet qui Iovem i. e. deos dixisset (ita interpretari rem iubet nos Aristarchus; cf. huius diss. caput IV) *ἐλπίδα κακῶν* in dolio inclusisse. Totum vero fragmentum Didymeum ad v. 96 sq. hunc fere in modum restituo: *ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισιν· Σέλευκος δὲ γράφει πίθοισι· κακῶς γὰρ εἶπεν ἐπὶ τοῦ πίθου δόμον λέγειν. πίθον δὲ τὰ ἐν οὐρανῷ, ὡς Ὅμηρος λέγει. ἔνδον ἔμεινε πίθου· πῶς φησιν ἔμεινεν* ..... (sequuntur verba scholii p. 103, 2—8 expleta ut iussi). *ὁ δὲ Ἡσίοδος ἀκύρως ἐπὶ κακῶν εἶπεν. οὐ πάντα δὲ τελεῖται τὰ τῆς ἐλπίδος· ὅθεν Θουκυδίδης κινδύνου παραμυθίαν εἶπε τὴν ἐλπίδα καὶ Ὅμηρος· ἐλπωρή τοι ἔπειτα φίλους τ' ἰδέειν* (η 76), *καί· εὔχομαι ἐλπόμενοι Διΐ τ' ἄλλοισίν τε θεοῖσιν* (Θ 526). Ceterum cf. supra p. 25 et Schoemannum in opusc. acad. III p. 57. Seleucum hoc loco efficitur aut recensuisse Hesiodi carmina aut commentario instruxisse. Illud fecisse eum affirmaverim, quod, ubi invenitur eius nomen, est res de arte critica factitanda (cf. verba modo allata: *Σέλευκος δὲ γράφει*, et similiter *Σέλευκος ἀθετεῖ* in scholio Choerobosci ad v. 547, et v. scholia Theogoniae ad v. 114, 160, 270, scholia Scuti ad v. 415); commentarios vero eius fuisse confirmant verba Suidae (s. v. *Σέλευκος*): *ἔγραψεν ἐξηγητικὰ εἰς πάντα ὡς εἰπεῖν ποιητήν*, et quod in hoc scholio usurpatur de eo *εἶπεν*. cf. Ludwichium, Arist. hom. Textkr. I p. 51.

Ad v. 127 e scholio Choerobosci certe sunt Didymea, quae sunt p. 122, 4 et 5, ubi res est, sicuti alio loco, de quo iam egi p. 12, de Hesiodi *Ἔργοις μεγάλοις*. At nihil certi Didymus de hoc libro, quem ei aut non fuisse praesto aut spurium visum inde concludam; aliter non tacuisset inspecto libro neque provocavisset ad *ἐνίους*. Sed ne unice verum hoc dicam, impedior, quod fieri potest, ut re vera de hac re verba fecerit Didymus, sententia autem eius perierit temporum decursu. — Porro in Aristonici de Nymphis Meliacis reliquiis p. 145 latet fragmentum Didymi, cuius verba ipsa non iam licet scire. — Nec non omnia, quae ad v. 148 de vocabulo *ἄαπτοι* Choeroboscus p. 131, 20 et Eustath. ad Iliad. I 122, 36—40

exhibent omissis eis, quae mera grammatica adduntur, Didymea sunt, quia Aristarchi sententia et Aristophanis Byzantii laudatur: *ἄαπτοι· αἱ δειναὶ καὶ ἀπτόητοι κατὰ Ἀρίσταρχον. διὸ καὶ ἐψιλοῦτο. Ἀριστοφάνης δὲ ἐν ταῖς Γλώτταις, ὥς φασιν οἱ παλαιοί, ἀέπτους γράφει.* De sententia Aristarchi sine dubio ex hypomnematis Homericis ad *A* 567 petita (cf. Herodianum in scholiis ad *A* 567 et scholium ad *N* 318) v. La Roche, hom. Textkr. im Altert. p. 176, contra quem optime disputavit Ludwichius Arist. hom. Textkr. I p. 141 sq. Ceterum cf. similia apud Apollonium in lexico Homerico p. 1. Aristophanis sententiae non, opinor, de loco Hesiodeo, sed de vocabulo *ἄαπτος* sive rectius *ἄεπτος* dictae fons est eius lexicon.

Ad versum 169, de quo cf. supra p. 132, scholium Choerobosci p. 137, 7—21, quod integrum est exscriptum ex veterrimis scholiis, Didymeum est; cuius in initio nonnulla corrigere studui: *τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων, τοῖσιν Κρόνος ἐμβασιλεύει· τοῦτον καὶ τὸν* (lege: *τοὺς*) *ἑξῆς ὡς φληναφώδεις ἐξοικίζουσί* [*τινες* om. libri] *τῶν Ἡσιόδου, τά τε ἄλλα φαυλίζοντας* (*-ντες* libri) *καὶ τὸ ἐνθουσιαστικὸν τῆς εἰσβολῆς τῶν μετ' αὐτοὺς στίχων ἀφαιρεῖν εἰπόντες, κτλ.* Maxime doleo non esse traditum, quae fuisset sententia Aristarchi de his versibus delendis, nisi ex silentio, ut aiunt, audeas concludere ei hanc lituram non probatam fuisse. Nihilominus mirum est a Didymo in tanto scholio nihil de Aristarchi sententia dictum esse. Inde potius effici videtur, ut, qui versus eiecerunt, fuerint post Aristarchi aetatem. Hoc si esset probatum, non nihil ea re adiuvaremur ad certa tempora vulgatae recensionis circumscribenda, de qua re vide huius diss. IV. 6. Ceterum hoc fragmentum luculentum est Didymi artis interpretandi testimonium, nec non eo ducimur ad aliud eius fragmentum, quod erat ad versum ante 169 collocatum, scilicet ad versum 160 aut 106; quo disputavit Didymus de tota hac Aetatum fabula eiusque ratione. Quae vero fuerit illa secundum Didymi sententiam, his demonstratur scholii verbis p. 137, 19: *καὶ ἐκ τούτου* (scilicet praeter illa argumenta, quae supra exposui) *δῆλον, ὅτι τὰς μεταβολὰς ἠθέλησε παραδοῦναι τῶν περιόδων τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς εἰς τἀναντία γινομένας.* De qua sententia v. huius diss. IV, 5. — Iam explicatur a Didymo crux illa interpretum vox

ἔπειτα, de qua iam dixi supra p. 133. Aristarcheae autem διπλῆς rationem melius quam ab Aristonico perspectam esse a Didymo, ut qui semper soleret diligentius omnia percontari, videtur probari Choerobosci scholio p. 144, 11—15, quod cum praecedenti p. 137, 17 comparatum manifesto eundem auctorem Didymum prodit. Cuius sententiam vere Aristarcheam fuisse etsi probari nequit, tamen est veri simillimum. Sed de hac re infra disputabo.

In magno Choerobosci versus 304 scholio multa latent Didymi nominatim insuper laudati, sed difficile est diiudicare, quae eius sint, quod ipsius Choerobosci scholii excerpta quam maxime sunt disiecta. Attribuerim ei Aristotelis sententiae explicationem, Ameriae sententiam allatam hancque fere eius ipsius interpretationem (cf. p. 204, 15 et Etym. Magn. 524, 41): κόθουρος· κηφὴν ζῶον μελισσῶν ἀργότατον καὶ ἄκεντρον, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης (in hist. anim., vol. I p. 553 b 11). κόθουροι δέ, ὅτι κάθηνται τουτέστι παρατηροῦνται τὴν ὥραν, ἐν ᾗ ἐκβαίνουσιν αἱ μέλισσαι, ἵνα ἐκλαθόντες ἐσθίωσι τὸ μέλι. Ἀμερίας δὲ κακούργοις ἢ κοτούροις (ἀναγνωστέον), ὅτι κότον ἔχουσιν ἐν τῇ οὐρᾷ. Addidi ἀναγνωστέον, quia non variata lectione non poterat Didymus vocabulum illum in modum explicare, neque excerptor scholiorum eius sententiam propriam cognoscere. Sententia ipsa Ameriae neque est petita a Didymo ex eius Γλώσσαις neque ex lexico, quod Ῥιζοτομικόν inscribebatur, quippe quorum in utroque egerit de rebus a fucis alienis. Fuit igitur eius aut tertium aliquod lexicon aut commentarius Hesiodeus; aut in scholio falso laudatur nomen Ameriae, cuius loco de Neoptolemo cogitaverit quis nixus Eustathio ad Iliadem p. 757, 19 et Strabone XIII p. 589 d. — Magnis in duobus scholiis Choerobosci p. 244, 5, Eustath. ad Iliad. IV, 86, 7, Etym. Magn. 675, 34, Etym. Gud. 469, 7, 13, 42 et p. 254, Eustath. ad Iliad. IV, 123, 38—41, Etym. Magn. 83, 7, Etym. Gud. 44, 50, quae in multis consentiunt cum Homericis ad Σ 486 et Τ 222, sunt quaedam certe Didymea; quae distincte secernere non iam licet. — Ad v. 435 fere omnia scholii Choerobosci (v. Etym. Magn. 48, 47 et Zonar. p. 112) sunt Didymea, quippe ubi res sit de lectione varia: ἀκιώτατοι· ἄσηπτοι, ἄβρωτοι. κὶς γὰρ λέγεται ὁ ἐν τοῖς ξύλοις σκώληξ. ἄλλοι (in his Seleucus?)

γράφουσιν ἀκιρώτατοι, ἵν' ᾖ κάλλιστοι. — Ad v. 493 e scholio Choerobosci p. 302, 31 haec credo esse Didymea: ἐπαλέα λέσχην· τὰ χαλκεῖα παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἄθυρα ἦν, καὶ ὁ βουλόμενος εἰσῄει καὶ ἐθερμαίνετο καὶ οἱ πένητες ἐκεῖ ἐκοιμῶντο. λέσχη δέ ἐστι τόπος τις δημόσιος ἀνειμένος τοῖς βουλομένοις διαιτᾶσθαι. Νεοπτόλεμος δὲ ἐν τρίτῳ Γλωττῶν φησι λέσχην εἶναι ὄνομα αὐλῆς, ἐν ᾗ πῦρ ἐστι. Corrigendum est, quod exhibent libri ἐν τῷ περὶ Γλωττῶν, quod semper laudatur Neoptolemi Pariani liber Γλῶτται non περὶ Γλωττῶν; nixus sum Athenaeo XI p. 476 f. Ceterum fortasse insunt Choeroboscea etiam in Etym. Magno p. 561, 11.

E Choerobosci scholio ad v. 524 p. 316, 3 (cf. Etym. Magn. p. 111, 6) sunt Didymea: ἀνόστεος· Κλείταρχος δὲ ἐν Γλώσσαις τὸν πολύποδα ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἰουλόν φησι καλεῖσθαι. Ἀριστοτέλης δέ φησι ψεῦδος εἶναι τὸ κατὰ τοὺς πολύποδας· αὐτοὺς γὰρ ἑαυτοὺς μὴ κατεσθίειν, ἀλλ' ὑπὸ τῶν παγούρων κατεσθίεσθαι. Non mirum, quod in laudanda Aristotelis sententia Didymus erravit,[1]) qui tot libros conscripserit, ut ab adversariis ne suas quidem ipse sententias semper eodem modo exhibere diceretur; contra valde mirus esset error, si esset Choerobosci, qui, si ipse haec attulisset contra morem suum inspectis ipsis philosophorum libris, procul dubio non erravisset. Clitarchus ab Athenaeo saepissime simul cum Neoptolemo Pariano laudatus eius aequalis videtur fuisse; accedit, quod eum Epaphroditus quoque ad Θ 48 Etym. Magn. p. 221, 31 laudavit. Etiam cum Ameria coniuncti eius mentio fit; cf. huius diss. III, 6. — E scholio Choerobosci ad v. 526 conscripto Etym. Magn. 261, 1 hunc fere in modum Didymeum scholium potest restitui: δείκνυ· οὕτως ἀναγνωστέον, ἀπὸ τοῦ δείκνυσι. ἄλλοι δὲ δεικνύ, βουλόμενοι ἐκ τοῦ δεικνὺς παραλαμβάνειν. Quae sunt reliqua apud Choeroboscum grammatica, eius sunt ex Herodiano sumpta, ut ipse docet. — Ad v. 530 exstat Didymeum fragmentum in scholio Choerobosci p. 318, 22 (cf. Etym. Magn. 594, 47): μυλιόωντες· τὰ χείλη κινοῦντες ὑπὸ τῆς ψυχρότητος. Κράτης δὲ γράφει μαλ-

1) Cf. supra p. 16 et 44, hist. anim. VIII p. 591 a 3, Etym. Magn. p. 287, 44.

κιόωντες· ἔστι δὲ τὸ διὰ τὸ ψῦχος μὴ ἔχειν εὐκινήτῳ δυνάμει χρήσασθαι. Cratetis quod additur coniecturae explicatio, fuerunt eam ob rem commentarii Hesiodei, quorum duo alia fragmenta sunt in schol. Theog. v. 126 et 142 (cf. Wachsmuth., de Cratete Mallota p. 51 et 56). Cratetis sententiam, licet sit ingeniosa, improbo coll. de vocabulo *μαλκιᾶν* Arati v. 293 et scholiis ad Nicandri Ther. 382. — Lectionem variam Seleuci (cf. supra p. 149) tradidit Didymus in fragmento ad v. 549 restituto e scholio Choerobosci p. 326, 23: *ἀὴρ πυροφόρος· ὁ πυρετὸν καὶ κάματον φέρων, ἢ ὁ φέρων τὸν ἥλιον. Σέλευκος δὲ γράφει ἀὴρ ὀμβροφόρος.* — Scholium Choerobosci ad v. 568 p. 333, 6 dubito an liceat integrum tribuere Didymo: *ὀρθρογόη· ἡ ὑπὸ τὸν ὄρθρον θρηνοῦσα. καὶ μὴ ὀρθοβόην ὥς τινες*; porro dubitanter ei dem propter multa exempla ex Homericis carminibus sumpta (cf. schol. *B* 48, *Z* 201, *H* 433) illa Choerobosci de variis significationibus vocabuli *ἠώς* p. 338, 1, Etym. Magn. 440, 36, Etym. Gud. 252, 45, 253, 7. Nam ut omnia Choeroboscum ex veterrimis scholiis Hesiodeis sumpsisse mihi propter similitudinem Homericorum scholiorum persuasum est, ita in eis non omnia, sed quaedam Didymi sunt.

Magni ad v. 590 Choeroboscei scholii ea tantum certe Didymea sunt, quibus Eratosthenis et Callistrati sententia exhibetur p. 343, 12 (cf. Etymologica et supra p. 41 sq.): *ἀμολγαίη· ἀντὶ τοῦ κρατίστη, ἀκμαία. Ἐρατοσθένης δὲ ποιμενικήν, Καλλίστρατος δὲ τὸν τυρόν φησιν, ἢ ὀλλύραν βεβρεγμένην γάλακτι.* Libri utriusque, ubi haec fuerint exposita, sunt ignoti. — In scholio Procli p. 368, 28 nullum vestigium est Alexandrinorum doctrinae. Ubi dicitur de v. 657, qui est

ὕμνῳ νικήσαντα φέρειν τρίποδ' ὠτώεντα,

ἄλλοι γράφουσιν· ὕμνῳ νικήσαντ' ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον. Iam Goettlingius in commentario optime demonstravit non posse scholiastae versum esse loco versus 657; nam molestissimum esset *ἐν Χαλκίδι* repetitum post *ἔνθα* (= *ἐν Χαλκίδι*) versus 656, et versu 658 *τὸν μὲν* ineptissime, ut esset Homerus dictus, sequeretur, neque *νικήσαντα* ita, sed *νικῆσαι* esset dictum. Itaque coniecit versum scholiastae post versum 657 esse olim additum cum epanaphora quadam, cuius rei duo exempla Operum v. 3 et Theogoniae v. 408 attulit tam dissimilia, ut ipse postea

videatur improbasse sententiam suam. Nempe idem eodem loco alia docuit ex parte optima: „nisi“ inquit „in animo habuit eum versum Proclus, quem inscripsisse tripodi Hesiodum dicit auctor Certaminis Hesiodi et Homeri:

Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ' ἀνέθηκε
ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.“ [1])

Non fallitur Goettlingius. Cum vero Proclus Plutarchum secutus tripodis illius memor epigramma, quod ferebatur, exscripsisset, excerptor, cuius levitatem novimus, posteris tantum reliquit, ut mera varia lectio videretur, cui nescio quis solitum *ἄλλοι γράφουσιν* addere non dubitavit. Similis est res de v. 119 aliisque.

Scholium Choerobosci ad v. 740 p. 400, 24, quod totum est Didymeum, corruptelis manifestis iam Schoemannus (op. ac. III p. 64) aliique optime liberaverunt: *ὃς ποταμὸν διαβῇ· ἄλλοι γράφουσιν κακότητ' ἴδε* (libri: *ἐπὶ*), *οἱονεὶ* [2]) *κακότητα εἶδεν, ἀντὶ τοῦ ἐκακώθη. Ἀρίσταρχος δὲ ἀθετεῖ τὸν στίχον τοῦτον (καὶ τὸν ἑξῆς).* [3]) *ἄλλοι κακότητ' ἔπι, οἱονεὶ ἐπὶ κακῷ ἑαυτοῦ* (libri: *ἑαυτόν*). Abiectis ceterorum quorum nomina nescimus, grammaticorum nugis Aristarcho palma danda est, qui recte intellexerit nulla medela posse hanc perversam sanari sententiam. — Similem lectionis varietatem et ipsam sine auctoris nomine tradidit Didymus in fragmento e scholio Choerobosci ad v. 746 p. 405, 6 restituto: *ἀνεπίξεστον· ἀφιλοκάλητον, ἀκόσμητον. ἔνιοι δὲ ἀνεπίῤῥεκτον γράφουσιν, τουτέστιν ἀθυμίατον.* Ex hoc scholio fluxit lectio unius codicis Florentini margini adscripta *ἀνεπίῤῥρεκτον*, cum uno quasi ore omnis memoria scripta confirmet illud *ἀνεπίξεστον*. — Didymi fragmentis non dubito tria etiam illa Choerobosci scholia adnumerare, quibus sententiae exhibentur Philochori, clarissimi Atthidos scriptoris, quae sunt ad v. 770 p. 421, 2—6 *ἐτέχθη*, (ubi *αὐτὴν* intellige *τὴν πρώτην ἱερὰν εἶναι*); ad v. 780 p. 429, 3 (ubi *αἱ τρεῖς* sunt *ἑνδεκάτη, δωδεκάτη καὶ τρισκαιδεκάτη*); ad v. 810 p. 441, 15—18. Cuius scholii sub finem, quem corruptum esse nemo non videt, videtur esse scribendum

---

1) Cf. Rohde, Rh. M. XXXVI p. 421 not. et Kirchhoff Sitzber. berl. Ak. 1892 p. 871 not.

2) Addidit Koechlius in apparatu critico ad versum.

3) Addidit Flachius Jahrbb. CXV p. 440.

ὡς Φιλόχορος λέγει καὶ Κλειτόδημος, ἀμφότεροι ἐξηγηταὶ τῶν πατρίων ἄνδρες. Nam requiritur credo alterius Atthidos auctoris nomen. Iam e re est visum cum Philochoro clarissimo antiquissimum coniungere, quem fuisse Clitodemum testatur Pausanias X 15, 5. Tamen rem incertam esse ipse concedo. Et loco *περὶ ἡμερῶν*, cum hic Philochori liber aliunde non sit notus verbaque potuerint errore nasci ex re ipsa in scholiis explicata, fortasse est scribendum *περὶ θυσιῶν*, quippe cuius libri aliis quoque testimoniis firmati argumentum aptissimum sit ad res sacras tractandas.

Postremum Didymi fragmentum invenimus in scholio Choerobosci ad versum postremum p. 447, 17: *τούτοις δὲ ἐπάγουσίν τινες τὴν Ὀρνιθομαντείαν, ἅτινα Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἀθετεῖ.*[1]) Quae verba quomodo sint intelligenda, adhuc sub iudice lis est. Erant[2]), qui crederent ab Apollonio proscribi Ornithomantiam, cuius carminis ad Opera adnexi causas quaerebant ex postremis eorum versibus. Contra aliis[3]) Apollonius insuper duos (cur non tres?) postremos versus Operum delevisse visus est ad artius coniungenda carmina fictos; denique exstiterunt[4]), qui suspicati eundem ad finem totam hanc Dierum partem postea esse conscriptam tamen hanc suam sententiam Apollonii quoque fuisse non possint affirmare, quos eam ob rem nunc praetermitto. Atque Lehrsii eorumque, qui eum sunt secuti, sententiam prorsus improbo. Nam hoc sane omnes negabunt, propter unum versum 828, qui cum ullo praecedentium conecti nequit, verbaque *ὄρνιθας κρίνων*, quibus nova atque inaudita res dicitur atque id in postrema parte carminis, Ornithomantiam compositam esse, ut inde concludere liceat versum ineptum antiquiorem esse hoc antiquissimo carmine. Contra recte Schoemannus provocavit ad Theogoniae duos postremos

1) De Apollonii Rhodii studiis Hesiodeis conferas etiam Scuti arg. III.

2) Lehrsius in „Quaestion. epicae."; Marckscheffelius in libro de Hesiodi fragm. p. 172 sq., Vollbehrius in prolegomenon editionis suae fine p. 82; H. Flachius „das dialekt. Digamma des Hesiodos" 1876 p. 61 not.; Steitzius „Werke und Tage des Hesiodos" p. 181.

3) Schoemannus Opusc. Acad. III p. 54; Michaelis in fragmentis Apollonii Rhodii p. 42.

4) Bergkius „Griech. Littgesch." I 958 not. 42.

versus, qui videntur esse additi, ut ad Catalogum mulierum fieret transitus, adque Iliadis postremam partem, quae et ipsa commutata esse traditur, ut adiungeretur Aethiopis. Eodem vero fere tempore, quo hoc factum est, quid est veri similius quam idem evenisse Operibus, ut adiungeretur Ornithomantia separatim usque eo lectitata? Accedunt insuper testes Pausanias (v. supra p. 6) Didymusque ipse de Operum additamentis re vera factis. Fuit ergo olim versus Operum ultimus 825, et delevit cum Ornithomantia v. 826 sqq. Apollonius. Neque firmatur altera de qua dixi sententia, quod ἅ τινα vox scholii Didymei non posse dici videtur de tribus versibus. Nam ne de Ornithomantia universa quidem valere potest ἅ τινα. Et hoc semper tenendum nos non legere verba Apollonii, non Didymi, non veterrimi scholiastae, ne Choerobosci quidem, sed excerptorum.

Haec sunt, quotquot nunc inveniri possunt fragmenta Didymei operis, fontis veterrimorum scholiorum et Choerobosci, quibus restitutis iam icet aliquo modo adumbrare indolem commentariorum, qui imprimis sane digni erant, qui exscriberentur. Non solum enim interpretandis rebus in illis curam summam positam fuisse apertum est, verum etiam sanum iudicium, ingenium insolitum, acumen mentis insigne, imprimis diligentiam singularem non defuisse. Accedit maxime laudabile studium uno quoque loco aliorum quoque sententias cognoscendi, quo studio non solum interpretationi, verum etiam arti criticae optima officia praestantur.

10.

Restat, ut pauca addamus ad alia scholia melius cognoscenda. Ac primum quidem Tzetzae et Moschopuli scholiorum iam vidimus fontem longe praecipuum scholia Procli et Choerobosci fuisse genere tantum dicendi commutato interdum; nec desunt loci, ubi verba ipsa exscripta sint auctoris. Reliquis autem scholiis, quae videntur eorum ipsorum propria esse, diligentius perspectis alius quoque fons locis nonnullis apparet atque id magis apud Moschopulum quam apud Tzetzam. Velut vide quaeso Moschopuli p. 271 ad v. 423 sqq.: ὅλμον μὲν τριπόδην τάμνειν· εἰς κατασκευὴν μὲν ὅλμου, ἤγουν ἴγδης, τέμνε ξύλον

τριῶν ποδῶν τὸ μῆκος· εἰς ὑπέρου δὲ κατασκευήν, ἤγουν τοῦ κοινῶς κοπάνου, τέμνε ξύλον τριῶν πήχεων· εἰς κατασκευὴν δὲ ἄξονος τέμνε ξύλον ἑπτὰ ποδῶν τὸ μῆκος· λίαν γὰρ ἁρμόδιον οὕτω ποιεῖν. ἐὰν δὲ ὀκτὼ ποδῶν τάμῃς, δηλονότι ἀποτάμοιο ἄν, ἀντὶ τοῦ ἀποτάμοις, καὶ σφῦραν ἀπ' αὐτοῦ, τὸν ἕνα πόδα δηλονότι, ἀρκούντων τῶν ἑπτὰ τῷ ἄξονι· εἰς κατασκευὴν δὲ ἀψῖδος τέμνε ξύλον τριῶν σπιθαμῶν ἕνεκα ἁμάξης δεκαδώρου, ἤγουν ἵνα ποιήσῃς ἅμαξαν, τουτέστι τὸν τρόχον τῆς ἁμάξης, δεκάδωρον τὴν διάμετρον ἔχοντα. πολλὰ καμπύλα κᾶλα, ἤγουν περιφερῆ ξύλα, ἐπιτεμών, ἐπεὶ πλειόνων δεῖ τοιούτων τῇ ἀψῖδι, ὧν ἕκαστον ὀφείλει εἶναι τρισπίθαμον κτέ. Vel cf. eiusdem quae sunt p. 77, 93, 108, 132, 164, 265, 365, 374, aliis non paucis locis, quos exscribere longum est. Etiam apud Tzetzam sunt talia, sed semper immixtis ea invenies apud eum calumniis; cf. p. 35, 109, 339, alibi. Quibus locis cum similibus, quae in Homericis aliorumve poetarum scholiis exstant, comparatis mihi videntur ad Opera Hesiodi eiusmodi paraphrases fuisse, quales ad Iliadem supersunt, de quibus v. imprimis appendicem Ludwichii Arist. hom. Textkr. II. Et est sane satis idoneum ad talem explicationem carminis argumentum. Paraphrases ad Theogoniam quoque factas esse docuit atque e scholiis exempla proposuit Flachius, Gloss. et Schol. p. 134 sqq.

Deinde exstat p. 448 sqq. Gaisf. Ioannis Protospatharii *ἐξήγησις φυσικὴ τῶν ἡμερῶν Ἡσιόδου*, versuum scil. 770—820, quae nullius est pretii prorsusque redolet hominis Byzantini naturam et artem. Nihilo minus, quantum nos vidimus, non pendet ille e scholiis vetustioribus, neque ullo loco (nisi fortasse ad v. 802) reperiuntur apud eum similia ac quae in scholiis nostris tractantur. Sed commentarius nullius est momomenti, neque fontes eius perspicere nobis licet; ergo missum eum faciamus.

Restant denique in codice Parisino 2708 duo de fabula Pandorae fragmenta publici iuris facta in libro „Gloss. und Schol.“ p. 417—419 a Flachio, qui eas reliquias esse commentarii a Proculeio Syro conscripti suspicatus est (v. ed. tertiae Goettlingianae proll. p. 59). At fuit Proculeius (secundum Suidam s. v. *Πρόκλος ὁ Προκλήιος*, qui unus de eo nobis

testis est¹), *ἱεροφάντης* Laodiceae Syriae, i. e. sacerdos Graecorum, nam nunquam hac voce sacerdotes Christiani appellantur; quacum re congruit etiam quod teste Suida de geometria libros composuit, id quod item non est Christiani illorum temporum sacerdotis. Iam vero cecidit Flachii coniectura his prioris fragmenti verbis comparatis (p. 418, 17): *φαντάζονται γὰρ καὶ οὗτοι οἱ ἔξω ἀποκατάστασιν καί, οἶμαι, τὰ ἡμέτερα δόγματα σφετερισάμενοι λέγουσιν τοῦτο, τὴν ἔκπτωσιν τοῦ Ἀδὰμ τῆς ἐν τῷ παραδείσῳ διαγωγῆς, ἣν διαγωγὴν καὶ πῦρ λέγει τάχα κτέ.* Alterum autem fragmentum voce *ἄλλως* signatum cum priore ita congruit, ut procul dubio aut eiusdem sit auctoris aut excerptum ex eodem fonte. Fidem propter Christianam de Choerobosco cogitaverit quis fragmentorum auctore collatis quae supra disputavimus p. 29. Sed facere hoc vetamur, quod anonymus in usum vocavit scholia Procli; velut initio utriusque fragmenti commemorantur sententiae, quas exhibeant *οἱ Πλατωνικοί* vel *οἱ περὶ Πλάτωνα*; sunt allegorica, qualia multa apud Proclum; in medio priore fragmento (p. 417) haec leguntur: *ἣν δὲ μετάθεσιν κλοπὴν λέγει ὁ Ἡσίοδος, καθῶς καὶ Πρόκλῳ δοκεῖ.* Nihil ergo est, cur non ex his fragmentis omnia, quae adhuc in Procli fragmentis non invenimus, eius scholiis addamus.

Caput III.

De Operum versibus ab antiquis laudatis.

1.

Monuerim me hoc capite, etsi omnia, quantum potui, veterum auctorum Hesiodea collegi, tamen omissis eis locis, quibus vel suis verbis adumbravit aliquis auctor sententiam Hesiodeam vel versus eius imitatus est, eos propositurum esse, ubi vel ipsa verba vel versus allati sunt Hesiodi. Et ne hoc quidem facere visum est, ubi nihil inest in testimonio nisi legi apud Hesiodum verbum quodlibet librorum quoque mss. memoria reliqua bene firmatum; quos locos aeque omittam. Denique missa iam faciemus testimonia, quae exstant in Procli

Choeroboscique scholiis iam supra satis laudatis et coniecturas interpretationesque huius aetatis virorum doctorum. At non valebunt leges, quas modo constituimus rei tractandae, ubi de re aliqua lis erit sub iudicibus; ubi imprimis id moneo, me ex virorum doctorum coniecturis non ei daturum esse palmam, qua optimus fiat sensus, sed qua verisimile sit restitui antiquum textum; nam non in emendando, sed in recensendo textu ubique versabimur. Iam accedamus ad prooemium.

Versum 1 laudavit Ps. Draco Stratonicensis (edit.Hermanni p. 77, 12[1]), longam esse primam syllabam vocis *Πιερία* ut ostenderet; v. 1—8 Dio Chrysostomus (edit. de Arnimi usus sum usque ad orat. XXXIII, postea Dindorfii) p. 200 M. Neuter a versus primi tradita librorum memoria recedit, neque testimoniis diiudicatur, sitne interpungendum post *Πιερίηθεν* an post *Μοῦσαι* et legendum *κλεῖουσαι*[2]) an admisso quinti pedis spondeo *κλείουσαι*.

Alterum versum (ubi C *δεῦτε δή*, D *δεῦτε Δί'*), praeter Dionem (l. l.), cuius libri omnes exhibent secundum Arnimium *Δί'*, laudaverunt Eustathius p. (ed. Basil.) 9, 3; 1383, 33; 1809, 15 (ubi est item *Δί'*), ut firmaret *σφέτερον* pronominis usum et sensum vocis *ἐνέπειν* ostenderet itemque nominis *Δί'*; Herodianus rhetor (ed. Walz. Rh. gr. VIII 586, 6 et Villoison. Anecd. graec. II 89) propter usum pronominis *σφέτερον*; ubi et *Δί'* et *δή* in codicibus; scholiasta Homericus[3]) ad *Α* 2 (ed. Dindorf. I 4, Dind.-Maass V 2) propter imperativum *ἐννέπετε*, ubi est *δή*; eadem de causa hemistichia sunt laudata in excerptis Herodiani cuiusdam, fortasse

---

1) Editiones, quibus usus ero, laudabo primo quoque loco, quo afferam scriptorem aliquem; in adnotandis librorum manuscriptorum lectionibus licuit mihi uti optimis collationibus Rzachianis, quas mecum per litteras vir doctissimus benigne communicavit; cuius rei semper ei habebo gratiam.

2) Quod cum Nauckio Mélang. Gréc. Rom. III p. 213 maluerunt Rzachius et Kirchhoffius.

3) Singula scholiographorum nomina etsi nonnullis locis certa hoc loco missa faciam; nam nolim Didymi aut Aristonici, Herodiani aut Nicanoris auctoritatem minuere, cum eos auctores dicam lectionum, quas recte ab ipsis traditas, ab recentioribus autem scholiastis corruptas esse saepe verisimile est.

eiusdem rhetoris, de barbarismo et soloecismo (Anecd. gr. ed. Boissonad. III 256) et anonymi cuiusdam, qui haec fere exscripsit (ibid. p. 239), unde nihil ad variam lectionem, nec non apud Polybium in libello eiusdem nominis (ibid. p. 236), ubi vacillant codices; in veteribus scholiis Homericis in Matrangae Anecd. graec. 374, 18 legitur *δὴ ἐννέπετε*; postremum anonymus grammaticus in libello de soloecismo (edit. Valckenaer. p. 201) propter vocis *σφέτερον* usum allato versu *Δί'* firmat. Adde idem testantem Proclum p. 24, 18. Nihilo minus contenderim, lectionem *δή* non solum unam genuinam esse[1]), sed etiam unam traditam, nam varia lectio aut ex iotacismo qui vocatur profluxit aut e glossemate *Δία*, quo voluit quidam *σφέτερον πατέρα* interpretari. — Versum 3 et 4 laudat unus Dio (l. l.), versus tertii prima verba Gregorius Corinthius de dial. Attica (edit. Schaeferi p. 109, 5), quem commemoro, quia *ὄντε* confirmat.

Quod in versu 5 bis exhibent libri *ῥεῖα*[2]) consentiente Dione, obstant Aristides atque Apollonius Dyscolus. Illius sane verba (ed. Dindorf. I p. 338. 6) difficilius sunt recensenda, quia certa notitia librorum manuscriptorum deest, sed alterum apud eum certum *ῥέα* ansam videtur praebere ad idem verbum initio quoque versus restituendum; et Apollonius (ed. Schneider. p. 153, 4; p. 562B.) disertis verbis haec: *καὶ σαφές*, inquit, *ὅτι τὸ μὲν ῥέα μὲν γὰρ βριάει ὁλόκληρον γέγονε, τὸ δὲ ῥεῖα ἐν πλεονασμῷ ἐστι τοῦ ι.* Esse autem *τὸ δὲ ῥεῖα* non intelligendum alterum versus quinti illud verbum, sed illud, quod initio versuum sequentium legitur, confirmatur testimonio anonymi apud Cramerum Anecd. Oxon. I p. 383, 6, qui eo quem dixi modo versus laudat: *ἐκ τοῦ ῥέω ῥέα ῥεῖα· ῥέα μὲν γὰρ βριάει· καὶ· ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει.* Ceterum Proclus et Choeroboscus p. 40, 8 legebant cum libris Hesiodeis *ῥεῖα*.

1) Conferas Platonis Phaedr. p. 237c; Dion. Halicarn. de comp. 26; Pausaniam X 18, 2.

2) Exceptis nonnullis recentissimis, in quibus altero loco *ῥέα* est exaratum; quos nunc mitto, cum non traditam lectionem, sed coniecturam quamvis veterem exhibeant. Quod semper fit, ubi distant a libris C, D, Mess. (cf. supra p. 2). Idem valet de Diacono, (p. 584, 22 Gaisf.) nec non de Elia et Trycha (de metris ed. de Furia p. 72, 82, ed. Studemund anecd. I p. 78 sq.) ipsam hanc ob causam, quia sunt recentioris aetatis.

Versus 6—8 unus laudat Dio l. l., idemque v. 6 et 7 in oratione LXIV p. 594 M (siquidem eius est); ubi exhibent libri Dionis v. 6 *ἀέξει* et *αἴξει*, v. 7 *χάρφει* et *κάρφι*, v. 8 *ναίει* et *νίει*. — Quae legitur pars v. 9 Etym. Magn. p. 276, 8, monuimus supra p. 78 eam esse ex Choerobosci scholiis petitam; itaque non sunt verba Etymologici habenda loco testimonii alterius scriptoris.• Eiusdem versus priorem partem laudat propter dei implorationem scholiasta ad Aeschyli Suppl. 77. — Versum 10 laudavit Ps. Draco (p. 89. 14), cuius verba *ἐγὼ δὲ καί*, etiam si contra metrum non facerent, tamen abicerem vel minimam recentissimi auctoris propter auctoritatem et quod facillime explicatur corruptela ex pronuntiandi verba *καὶ* et *κὲ* more Byzantinorum. Pronomen Doricum *τύνη* affertur in Etym. Magn. p. 314. 43 laudatis novissimis verbis versus noni primoque versus decimi; qui locus nempe doctrinam redolens (cf. enim Eustathium p. 573. 21, 1044. 42, 1359. 33) non est nullius pretii. Nihil adiuvamur testimoniis, ubi res item est incerta, in diiudicanda quaestione de voce *Πέρσῃ*, cuius loco exhibent libri nonnulli *Πέρσῃ*.

2.

Sequitur pars *τὸ εἰς Ἔριδας* a Pausania nuncupata.

Versus 11 laudatur a Plutarcho in Conviv. quaestion. p. 736e (edit. Bern. IV. 359), et propter illum particulae *ἄρα* usum Aristonico Didymoque probatum (cf. supra p. 126 et 144) in scholiis Homericis quae dicuntur minora ad *P* 147 VI, 217 ed. M. absque scholiasta Apollonii Rhodii ad II 438 (ed. Merkel-Keil). Immerito quibusdam Lucianus aliam lectionem exhibere est visus iniuria eius ab editore in versus redactis eis, quae sunt ipsius Luciani verba prosa oratione dicta; nam in Amor. p. 439 (edit. Sommerbrodtii II 2 p. 20) post: *δισσὰ γὰρ ὄντως κατὰ τὸν τραγικὸν πνεύματα πνεῖ ὁ Ἔρως, ἑνὸς δὲ ὀνόματος οὐχ ὅμοια τὰ πάθη κεκοινώνηκε . . . οὐ μὴν οὐδ' Ἐρίδων γένος ἐστὶ ἕν*, nunc demum verba poetae sequuntur:

ἀλλ' ἐπὶ γαῖαν
εἰσὶ δύω, τὴν μὲν κτέ.

Adde denique Zonaram, qui propter vocabulum *μοῦνον* p. 1365 versum totum laudavit. — In v. 12 libri Hesiodei exhibent

ἐπαινέσσειε, Lucianus vero (l. l.) et Eustathius, qui de forma p. 1315. 14 agit, videntur legisse ἐπαινήσειε. Quam lectionem non crediderim esse variam; immo verisimile est loco formae raro usitatae[1]) ἐπαινέσσειε illam magis tritam ἐπαινήσειε scriptam esse; quod aut ante testium illorum tempora factum est in eis libris, quos legerunt, aut postea in ipsis Luciani et Eustathii libris. — Versum 13 unus citavit Lucianus l. l.

Versus 21—24 affert Stobaeus in capite περὶ φιλοπονίας XXIX. 2 (edit. Hensii p. 626). Quorum in primo laudando librarii duorum codicum (Marciani et Parisini) eadem re offensi atque nostratium nonnulli (cf. Usener, Rh. M. XXIII, 147) pro χατίζων scripserunt χατίζει vel perversum illud χατίζοντα; at ubi rati sunt difficultates inesse, non sunt (conf. Sittelium ad versum). — In v. 22 Stobaeus facit cum codicis D forma ἀρομεναι i. e. ἀρόμμεναι (ἀρώμεναι C et Ambr.) immerito, ut ostendit Rzachius („der Dial. etc." p. 446, 439 sq., cf. Curtium „Verbum" I 352—357). Forma igitur genuina ab imperitis demum librariis depravata ne hoc quidem loco est lectionis varietas. — Versum 23 laudaverunt praeter Stobaeum (l. l.) auctor Etym. Magni p. 411. 22 (inde ab voce ζηλοῖ), Ammonius (ed. Valckenaer. p. 64) sub verbo ζῆλος, Thomas Magister (edit. Ritschelii p. 166) sub eadem voce, Eustathius ad Odyss. p. 1527.36 eandem propter rem et auctor lexici Vindobonensis (edit. Nauckii 96); Plutarchus (de cap. ex inimicis utilit. p. 92a, ed. Bern. I 222) adumbravit rem quasi eam, quam memoria tenebat, neque ipso Hesiodi libro inspecto. — Idem valet de v. 24; ubi habes lectionem variam inspectis Stobaei libris, qui exhibent loco accusativi σπεύδοντ' nominativum σπεύδων. Utrumque sane stare potest, neque licet dicere, quae fuerit prior et genuina lectio. Atque erat fons, e quo Stobaeus Hesiodea sua hauriebat, e diligentissime conscriptis, ut elucebit postea. Eodem testimonio firmatur etiam unice verum ἄφενος codicis C (D et Mess. ἄφενον.). Contra vero Rzachium, qui in symbolis Pragens. p. 183 utramque formam credebat stare posse etiam hoc in Hesiodeo versu, facit praeter hoc Stobaei testimonium etiam Didymi

---

1) Conferas Rzachium „der Dialekt des Hesiodos" Jahrbüch. f. Phil. suppl. VIII. p. 443.

fragmentum, quod exstat in Choerobosci scholio, ex quo unum genus neutrum vocis *ἄφενος* legit apud Hesiodum Didymus. Et re vera v. 637 in omnibus libris est *οὐκ ἄφενος φεύγων*. Contra e verbis Eustathii ad *Α* 171 (et Didymi ipsius) elucet apud quosdam posteriores inveniri etiam masculini generis *ἄφενος*, unde statim quomodo facta sit corruptela apparet.

Versus 25 in ore erat atque sermone omnium; cf. Plato Lys. p. 215c (qui addit sequentis prius hemistichium); Aristoteles Rhetor. p. 1388 a 16, p. 1381 b 15, Polit. p. 1312 b 4; Plutarchus de tranq. anim. p. 473a (ed. Bern. III 229); Dio Chrysostomus or. LXXVII, 1 p. 650 M (ubi ex haplographia, quae vocatur, *κεραμεῖ* deest) et p. 653 M; Choeroboscus Epimerism. in psalm. (ed. Gaisford. III p. 95. 3); Stobaeus in capite *περὶ φθόνου* (ed. Hense p. 713) Donatusque in Vita Vergilii (Sueton. ed. Reiffersch. p. 67), qui etiam sequentem afferunt versum. Consulto recessit a textu tradito Philostratus Vit. Sophist. p. 234 (ed. Kayser. II 54), qui propter rhetorem, de quo verba facit, dicit *καὶ ῥήτορι τέκτων*; memoria versum suppeditavit haud ita recte Prisciano (corp. gramm. lat. II p. 274), qui hunc in modum eum composuit: *καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει καὶ τέκτονι τέκτων*, et Mazari (Boissonade, Anecd. III p. 161). — Versum 26 praeter eos, quos modo dixi, laudavit etiam scholiasta ad Euripidis Andr. v. 476 (ed. Schwarz). Adde Aristidem in Alex. epit. (ed. Dindorf I, 138, 3). — Versus 27 laudatus est a Choerobosco corp. gramm. graec. IV, 1, p. 163. 34 propter vocativum vocis *Πέρσης*; ubi variam lectionem non statuerim omnium scilicet reliquorum librorum illo *ἐνικάτθεο* pugnante cum unius etsi optimi codicis C *ἐγκάτθεο*, in quod quomodo abierit *ἐνικάτθεο* per se facile explicatur.

Praeter spem non laudaverunt s. v. *κακόχαρτος ἔρις* v. 28 auctores Etymologicorum (Magni p. 484, 47, Florentini p. 175); sed exstat scholium Choerobosci. Cuius quod in lemmate (et est manifesto lemma illud e scholiis conservatum) legimus *κακόχαρτος ἔρις* inverso ordine, aut factum est ab lexici auctore, ut scholio de *κακόχαρτος* scripto suus pro ordine alphabeti locus esset, aut ab ipso Choerobosco, ut qua de voce acturus esset, melius indicaret; neque inde datur adminiculum coniecturae Lennepii, qui transpositis versus verbis et paulo

mutatis digamma sibi visus est restituisse. De qua re vide Rzachium, der Dialekt etc. p. 377 sqq. et Hartelium in Zeitschr. für die österr. Gymn. 1876 p. 639 sqq. — Versus 29 alterum hemistichium laudavit Apollonius Dyscolus in libro de constr. p. 330. 19 (ed. Bekk.) propter vocabulum ἐπακουόν sine nomine auctoris. In initio versus destitutus antiquorum scriptorum testimoniis palmam dem lectioni ὀπιπεύοντ' codicis D, ex qua censeo quod vulgo fertur ὀπιπτεύοντ' postea demum ortum neque antiquitus lectum esse collatis v. 806, scholiis Procli et Choerobosci, Δ 371 et Apollonii lexico 121. 30, Η 243, τ 67; vide etiam Curtium Etym. p. 423, 664 et qui contra eum optime disputavit La Rochium in supplem. ad Δ 371 et in „Homer. stud.“ p. 104. — Versus 30 primum verbum ὥρη fuisse testantur praeter recentioris aetatis librarium, qui codicis D ὥρῃ correxit, codex C et hanc ipsam ob rem laudato versu Harpocratio s. v. θεωροί (ed. Dindorf. p. 155. 3), Suidas s. v. ὡρακιάσας (edit. Bernhard. II[a] 1266. 15), scholiasta ad Sophoclis Trachin. v. 56 (ed. Papageorg. p. 283), nec non uterque Hesiodi interpres Didymusque. Quam unam traditam atque optimis testimoniis firmatam lectionem miror quod non accepere ex recentissimis editoribus nisi Paleius et Kirchhoffius; reliquis omnibus disputatio satis illa quidem ingeniosa, sed cui deerat notitia scriptae memoriae, Lehrsii in quaestt. epic. p. 223 et postea Steitzii (Werke und Tage des Hes. p. 20) imposuit. — Versus 33 laudatur a scholiastis ad Homeri A 210, in scholiis quae dicuntur minora (ed. Dind. III 41; Maass V. 23), apud Cramerum in Anecd. Par. III p. 128. 14 et apud Matrangam in Anecd. p. 409. 9, ab omnibus iisdem fere verbis ita, ut non possit dubitari, quin idem omnium fons fuerit; neque discrepant in aliis rebus ac libri Hesiodei. Tzetzes vero, qui in libro suo κεκορεσσάμενος corruptum legebat, haec perperam docet p. 61. 15: κεκορεσσάμενος, inquit, καὶ ὅσα λόγου δίχα τινὸς διπλασιάζει τὰ σύμφωνα, Αἰολικά ἐστιν; qua in explicatione stulta et perversa minime inest, cur lectionis varietatem statuamus. Nam non est forma κεκορεσσάμενος; verbum ex radice κορες *κορεσνυμι factum esse recte Kuhnius (Ztschr. II p. 469) et Leskienus (Curtius Studien II, 108 sq.) viderunt; cf. Δ 87, Τ 167, Δ 562, Χ 427, ξ 46.

Versus 40 et 41 nemini olim non noti saepissime commemorantur; neque dissentiunt de rebus gravioribus testes cum codicibus Hesiodeis. Affert priorem versum Plutarchus in libro de aud. poetis p. 36a (I 87B), ubi *οὐδ' ἴσασιν* pro *οὐδὲ ἴσασιν*, quod iure exhibent optimi libri Hesiodei, non ipsi Plutarcho debetur; alterum versum in sept. sap. conv. p. 157e (I 385B) et de facie in orb. lunae p. 940c (V 457B); utrumque laudat Gellius propter vocem asphodeli XVIII 2, 13 (ed. Hertz. II 370. 3); versum 40 scholiasta ad Sophoclis Oed. Col. v. 1211 (p. 450P.), qui eum affert ut similem Sophocleae sententiae; alterum hemistichium versus 41 scholiasta ad Homeri *I* 160 (ed. Dind. III 382) propter vocabulum *ὅσῳ*, quae videtur Suidas s. v. *ὅσῳ* (ed. Bernh. II[a] p. 1184) exscripsisse omnia; versum priorem idem Suidas I[b] 856B., II[a] 976B. ad illustranda verba *ἡμίσεια* et *νήπιοι*; versum 41 idem s. v. *θυμός* (I[b] 1224B), quem locum totum scholiastae Aristophanis debet, et ad verbum *ἀσφόδελος* (I[a] p. 821B.), quae explicatio Homerici scholiastae est propria; utrumque versum Stobaeus in capite *περὶ ἀδικίας κτλ.* *X* 11 (p. 410 Hens.), ubi idem atque apud Plutarchum *οὐδ' ἴσασιν* legitur et in uno libro manuscripto *ὅσῳ πλέον* abiit in *πλέον ὅσον*; priorem versum Apostolius Paroem. Graec. ed. Leutsch II, cent. XII, 9c, (= Arsenius XXXVII, 23) et Gregorius Cyprius (ibid. codicis Leidensis cent. II 89) proverbii instar; eandem ob causam Olympiodorus in commentario ad Platonis Gorgiam p. 107 med. (ed. Jahn. Archiv XIV); versum 41 seorsum afferunt Galenus in capite de asphodelo (de alim. fac. II 65, ed. Kühn. VI 652. 7); scholiasta in Theocriti Idyll. VII 68 (ed. Ahrens. II 260) propter vocem asphodeli de qua agit; Aristophanis scholiasta ad Plut. 253 (edit. Dindorf.) ex sententia quorundam, qui hunc versum *παρῳδούμενον* ab Aristophane illo loco esse censebant; ad vocem *μαλάχη* interpretandam Athenaeus II p. 58d (I p. 158 ed. Kaibel.); Apostolius IV 14c (Arsenius V 90) e Suida (I[a] p. 820 Bernh.), Macarius VI 77, anonymus apud Cramerum An. Par. I 398. 5 ex eodem fonte sua hauriens, anonymus apud Bekkerum Anecd. gr. I 457. 5 (Anecd. Bachmanni I 157. 15, Crameri An. Par. IV 166. 32) qui eadem nixus eodem fonte docet. Ubi aperte corruptum est *ἓν ὄνειαρ* (cf. codices Stobaei ex indice Hensei

p. 410), quae falsa lectio videtur nata esse vel cum notissimum versum non inspecto libro memoriae confisi laudarent scriptores, vel quod librarius quidam praedicatum enuntiationis desiderans ἔνι scribere voluit, id quod veri est simillimum collatis Stobaei codicibus (cod. S ἀσφοδέϝ ἐν̓). Ceterum his genuinis Hesiodi versibus aliquomodo similia verba ἀρχὴ ἥμισυ παντὸς, cum χαρακτῆρα Ἡσιόδειον viderentur redolere, a multis Hesiodo tribuebantur eamque ob rem a nonnullis viris doctis in fragmenti seius numerantur; quod factum est immerito, cum vetustissimi auctores, qui haec verba laudavere, Plato (Leges IV p. 753e) et Lucianus (Hermotim. 3), ea non dent Hesiodo; cf. Sittelium, Wiener Studien XII p. 45 sqq.

3.

Excipit τὸ εἰς Ἔριδας fabula Pandorae, ubi nonnullis locis lectionis varietates satis graves inveniemus.

Versum 42 laudavit Plutarchus in fragmento libri de anima apud Stobaeum CXX. 28 (IV p. 110, 13 Mein., Plut. Moral. ed. Duebn. V. 11); scholiasta ad Theogoniam 563 (ed. Gaisf.) propter similem sensum versus, quem tractabat; scholiasta ad Aristoph. Plut. 90 Dind. ut παρῳδούμενον ab illo; schol. ad Eurip. Hippol. 932 Schw. propter Atticam constructionem verborum κρύψαντες ἔχουσιν; Eusebius in Praep. Evangelica XIV. 4 p. 726d Dind. Ubi vox paenultima versus legitur νόον, quod ex indole totius loci Eusebiani consulto ab eo pro βίον positum esse apparet. Aliter non idoneus fuisset versus haud ita apte ex Hesiodo sumptus ad sententiam Eusebii firmandam de eis, qui Platonem secuti essent et mox discrepavissent cum eo. Denique laudavit versum Stobaeus II. 1. 7 (ed. Wachsm. II p. 4). — Versum 45 praeter Eustathium, qui solutis numeris sed retentis omnibus verbis bis eum laudavit ad Iliad. p. 540. 21 et ad Odyss. p. 1428. 62, citavit bis Plutarchus magis ad ornandam rem quam ad explicandam in libro de cup. divit. p. 527 c, III 365B, et conv. sept. sap. p. 157 f. I 386B; anonymus ad usum optativi in huiuscemodi sententiis hypotheticis illustrandum (non addito nomine poetae) in excerptis codicis Vaticani 292 apud Schaeferum ad Gregor. Corinthium p. 685; scholiasta ad Aristoph. Av. 711 et Acharn.

279 Dind. utroque loco ut παρῳδούμενον. Qui cum altero loco optime consentiat cum libris Hesiodeis, altero tamen pro initio versus αἶψά κε exhibeat αὐτίκα,quod et ipsum in scholiis Monacensibus occurrit (γρ. αὐτίκα secundum Usenerum Rhein. Mus. XXII p. 591), apparet hanc varietatem nihil esse nisi memoriae lapsum vel coniecturam cuiusdam librarii, qui initii αἶψά κε copulativam vim non perspexerit, quam desiderabat. Idem recentiorum quoque sunt qui erraverint, in his Goettlingius, cuius coniectura αἶψά τε πηδάλιόν κεν deletur illud μέν, quod aptissime respondet subsequenti δέ; quos contra iam Hermannus optime pugnavit op. VI p. 223. — Versus 46 laudatur ab uno Eustathio ad Odyss. p. 1650. 7 propter sensum vocum ἔργα βοῶν.

Versus 48 non affertur ab ullo auctore; nihilo minus eum hoc loco tractabo, cum in eo manifesto lectionis varietas reperiatur. Libri sane non discrepant, nam ἀγκυλομήτης exhibet D, ἀγκυλομητις sine accentu C, quod idem est, simodo tenemus librarium illum ex iotacismo saepissime laborare. Quod hoc quoque loco factum esse eo fit probabilius, cum alter Parisinus 2773, qui etiamsi codicis Messaniae familiae est, saepe tamen e C pendet in correctis lectionibus, ἀγκυλομήτις exhibeat eadem manu in ἀγκυλομήτης correctum. Supra tamen vidimus Choeroboscum de vocabulis ἀγκυλόμητις et ποικιλόμητις verba facere, cuius dissertationis exempla veri simillimum, ex veteribus scholiis esse hausta est et apud Proclum Plutarchum disserere de praeferenda lectione ἀγκυλομήτης alteri ποικιλόμητις. Et si illo loco bene disputavimus, Plutarchum in suo exemplari ποικιλόμητις legisse necesse est. Itaque lectionis varietas est statuenda. — Versum 53 cum sequentibus undetriginta laudavit Origenes in libro IV. contra Celsum (tom. XIX p. 58 Lomm.), idemque eodem loco versum 90 usque ad v. 98. Quod imprimis eam ob rem insigne est, quod tot versus non est veri simile Originem citasse memoria nixum, immo inspecto libro. Quem nostrorum dissimilem fuisse patet e versibus 70 sqq. Quam ob rem lectiones varias, quae satis multae occurrent, apponam, non diserte explicabo; quod suo loco fiet. — In versu 55 laudando Origines (l. l.) exhibet χαίροις quo χαίρεις variam lectionem, quae quin per se stare

possit, non dubitaverim. Nam apertum est Prometheum, qui prioris iam doli vidit Iovem statim ultorem, non potuisse fugere — erat enim Prometheus — statim ignis furtum punitum iri a Iove, neque laetari est eius, qui exspectet poenas alicuius rei. Itaque non sine aliqua ironia videtur usurpatus esse potentialis ille modus, quem vocant: laetatus sis, fili Iapeti. Nostri tamen libri omnes servant lectionem χαίρεις. Nam iterum moneo me semper missas facere lectiones recentiorum librorum, quorum sunt, qui hoc loco idem exhibeant χαίροις; quas lectiones, ubi a libro Parisino C, Laurentiano D codicisque Messanii familia discrepant, habeo loco aut errorum aut coniecturarum. At coniecturae vel praestantissimae nihil ad nos, qui versemur in recensendo carmine, nisi antea demonstratur traditam lectionem stare non posse. — In versu 56 favet lectioni codicis C optimae σοί τ' αὐτῶι (σοὶ δὲ αὐτῷ D) Origenis liber dissimilis et ipse (l. l.), nec non Clemens Alexandrinus, de quo cf. versum sequentem. Quod vero libro Apollonii de pronomine p. 98. 11 Schn. et testimonio grammatici cuiusdam, qui totus pendet ex Apollonio; apud Cramerum Anecd. Ox. I p. 388. 18 adducti fuere, qui exemplum Schaeferi (ad Gregor. Corinth. p. 470) secuti legere mallent in initio versus σφὶν δ' αὐτοῖς, relego, ne multus sim de re aperte falsa, ad Hermanni op. VI p. 223 sq. et Brugmanni librum „ein Problem der homer. Textkritik" p. 44 sq. — Versus 57 laudatur ab Origine (l. l.); Achille Tatio, qui narrationem suam τῶν κατὰ Λευκ. καὶ Κλειτ. λόγ. I 8 (ed. Hercher.) pulchriorem studuit reddere laudatis versibus 57 et 58 non addito nomine poetae; a Stobaeo in capite ψόγος γυναικῶν LXX 111 49 (ed. Meinek. III 44). Clemens autem Alexandrinus, cum in Stromat. VI p. 742 P (ed. Dind.) de mulierum vituperatoribus verba fecerit et Hesiodi versum 57 cum prima voce laudet posterioris, in illo pro τοῖς δ' ἐγὼ exhibet σοὶ δ' ἐγώ; ubi nullus ego dubito, cum haec lectio vel propter sequentia ᾧ κεν ἅπαντες nullo pacto probari possit, quin oculi Clementis ad versum antecedentem aberraverint. Quae re Clementis Hesiodea verba laudantis auctoritas ostenditur, qui noluerit vel in notissimis versibus memoriae confidere (tum non errasset), sed exemplari inspecto eos exscripserit.

Origines (l. l.), Achilles Tatius (l. l.), Stobaeus (l. l.) consentiunt de v. 58 cum libris Hesiodeis pariter atque Apollonius p. 112. 24 Schn. (p. 125 B), qui vituperat Hesiodum propter usum pronominis ἑόν, de qua re vide etiam Choeroboscum p. 82. 17, sed mox ipse eum excusat satis argute, qua tamen excusatione opus non fuisse demonstravit optime Brugmannus „Problem der hom. Textkr.“ p. 28 sq. Ad illustrandum illud Susarionis κακὸν γυναῖκες κτἑ. scholiasta Aristophaneus hemistichium posterius ad Lysistr. 1037 Dind. laudavit, idemque ad orationem exornandam Olympiodorus ad Platonis Gorgiam p. 198 fin. (ed. Jahnius Archiv XIV). — Praeter Originem (l. l.) nemo laudat versum 59, sed firmat vocem ἐγέλασσε Eustathius tribus locis (p. 656, 34; 1330, 7; 1805, 8), cum Origenes contra consensum Hesiodeorum librorum exhibeat ἐτέλεσσε; quam varietatem hic satis habeo annotare iudicium de ea quarto huius dissert. capite laturus. — Versum 60 laudant Origines (l. l.) et Clemens Alexandrinus Stromat. V p. 708P Dind. Clemens vero hunc et sequentem cum prima voce tertii exscripsit non ex ipso poeta, sed ex illo auctore, cui omnia sua huius de hominibus e luto factis disputationis debet; quam ob rem eius variam lectionem versus 62 καὶ νόον pro καὶ σθένος non curo, cum nihil liqueat, fueritne iam apud eum scriptorem, Hesiodum qui exscripsit, an tum demum facta sit in exscribendo illo auctore a Clemente. Et minoris etiam ponderis est Eusebius in Praeparation. evangel. XIII 13 p. 673 Dind., qui omnia sua e Clemente exscripserit. Scholiasta ad Pindari Nem. VI 1 (ed. Abel. II 174) laudat hunc et duos sequentes versus Hesiodi ad illustrandum illud Pindari ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος, ἐκ μιᾶς κτἑ., ubi librarii neglegentia pro ἐκέλευσε est exaratum ἐκέλευε, qui error passim occurrit in libris manuscriptis.

Versus 61 laudatur ab Origine (l. l.), scholiasta Pindarico (l. l.), Luciano in Prometh. ed. Fritzsche III 1 p. 132; propter ὕδει Aeolicam formam, de qua cf. Choerobosci scholium p. 86, 26, laudaverunt versum Choeroboscus ed. Hilg. p. 352 et auctor Etym. Magni p. 549. 53, quae omnia videntur exscripta ex scholiis Homericis vel ex Herodiano (cf. Lentz Herod. II p. 271). Denique Stephanus rhetor loco minime idoneo apud Cramerum

An. Par. I p. 295. 22 celato nomine poetae laudat prius hemistichium. — Dubitabant viri docti, quia non satis noverant scriptam memoriam, quomodo esset traditus in libris Hesiodeis versus 62. Exhibet enim C

δὲ
ἀθανάτῃσι θεαῖς εἰς ὦπα ἐίσκειν

(postremum vocabulum est scriptum litteris maioribus in rasura, et in margine additum a manu recentiore γρ. ἔοικεν), contra D: ἀθανάταις δὲ θεαῖς correctum in ἀθανάτης δε θεᾶς;[1]) codicis Messanii lectio (et scholiastae Pindari l. l.) est ἀθανάτης δὲ θεῆς (sed in Mess. iota a manu recentiore sunt subscripta).[2]) Neque ego dubito, quin haec una lectio exarata fuerit in communi archetypo suprascripta parte versus similis Γ 158 sic:

ἀθανάτῃσι θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν (Γ 158)
ἀθανάτης δὲ θεῆς εἰς ὦπα ἐίσκειν (Op. 62).

Iam ea est origo lectionis codicis C, ut librarius scripserit versum Homericum et, ut erratum emendaret, ι vocis ἀθανάτῃσι punctis notaverit falsum, δὲ suprascripserit, erasoque ἔοικεν exaraverit ἐίσκειν. Et antequam errorem animadvertit, idem librarius, ut prima versus 63 vox responderet formae ἀθανάτῃσιν, scripsit παρθενικῇσι. Qui vero γρ. ἔοικεν in margine codicis adnotavit, hoc verbum male erasum legit in ipso codice et variam lectionem, non errorem librarii duxit. At lectionem vere variam exhibet Origenes (l. l.) ἀθανάτοις δὲ θεοῖς. — Versum 63 unus laudat Origenes (l. l.).

Quod in versu 64 exhibet D διασκῆσαι, nihil est nisi coniectura librarii, qui illud ἅπαξ λεγόμενον[3]) Hesiodeum non duxerit. Quod confirmatur disputatione Herodiani (ed. Lentz II 782. 12, Crameri Anecd. Oxon. IV 338) et Hesychii glossa διδασκῆσαι· διδάξαι, e quibus omnes recentiores pendent.[4])

1) Non, ut Flachius in edit. Goettlingiana monet immerito contra Kinkelium, ἀθανάτοις δὲ θεοῖς. Vide Rzachium Symb. Pragens. p. 175.

2) De loco toto conferas Rzachium Symb. Prag. l. l. et serta Harteliana p. 216.

3) In v. 144 hymni in Cererem legitur e coniectura Vossii; ἐκδιδάσκησε est apud Pind. P. 4, 217.

4) Etym. Magnum p. 231. 40, 272. 8; Etym. Gudianum 145. 33; Eu-

Eandem ob causam atque a librario codicis D arte critica advocata librarius Origenis (l. l.), coniecit διδασκέμεναι aliquanto melius coll. *I* 442 *Δ* 382. Hoc igitur loco fallitur, qui primo aspectui confisus diversitatem lectionis adesse dicit. — Versum 65 unus laudat Origenes (l. l.). — In versu 66 exhibent D et Mess. μελεδῶνας, quod affirmat Origenes l. l., contra C μελεδώνας, quod ne ipsum quidem nego posse defendi, collatis fragmento Sapphus apud Herodianum περὶ μον. λέξ. p. 23. 13, Theocrit. XXI, 6, Hesychio s. v.; rursum hymn. Homer. III 447 μελεδών legitur,[1]) quod etiam Choeroboscus defendit (cf. scholium p. 88, 19, quod Choerobosco vindicavimus supra p. 57 (cf. supra p. 81). Ego vero in hac re dubia diiudicanda faciam cum codd. D et Mess., Origene, Choerobosco.

Versum 67 laudant Origenes (l. l.) et Stobaeus, qui in capite ψόγος γυναικῶν LXXIII 50 (III 44 Mein.) suas propter rationes non satis apte consociavit hunc versum cum v. 77 sq.; nisi credideris excidisse lemma τοῦ αὐτοῦ; versus 68 et 69 unus Origenes. — At versus 70—72 omnino desunt apud Origenem (l. l.), neque Plutarchi de levissima versus 76 re diserti ullum verbum audis in Procli scholiis de summa illa difficultate, quae inest in v. 72. Quibus adducor, ut in eo libro, quem manibus tenebant Origenes et Plutarchus, hos tres versus negem fuisse. Qui quo consilio in aliis libris fuerint, alio loco erit exponendum; hic sufficit lectionis varietatem statuere.

Versus 73 et 74 laudat Origenes consentiens cum codicibus Hesiodeis vel in illo ὅρμους χρυσείους ἔθεσαν χροΐ, ubi quod in C ante χροΐ scriptum erat vocabulum postea erasum, cuius rei nunc manet vestigium ///ε///ι, nihil est nisi vetus coniectura ab ipso librario statim recte abiecta, χερὶ scilicet (cf. Wieseler. observ. in Hes. Theog. p. 17) vel περὶ (Rzach. sert. Hartel. p. 37). — In versu 75 Origenis librarius neglegentia pro καλλίκομοι exaravit καλλιπλόκαμοι, quod versus non recipit. — Versum 76 unus Origenes laudavit, versum 77 idem

stathius p. 1373. 34, 1654. 32, 1715. 53. Vide Grassmanum in Kuhns Zeitschr. f. indogerm. Forsch. XII p. 104.

1) Ad τ 517 cf. Rzach. in symb. Prag. ad versum; sed res ibi haud ita certa est coll. Eustathii verbis II p. 214, 35 Stallb. Iulianique Misopog. p. 347 c.

et Stobaeus (vide ad v. 67), quorum uterque confirmat lectionem optimorum librorum *στήθεσσι*, (Mess. falso *στήθεσφι*, cf. Rzach. l. l. p. 38), versum 78 Origenes, Stobaeus, Plutarchus de com. not. p. 1065d, versus 79, 80, 81 Origenes. Versum 81 et 82 haec exstant fragmenta apud Philodemum *περὶ εὐσεβείας* (Pap. 1609 v. p. 529 Gomperz.):

. αντες ὀλύμ
δωμαχοντες
ον ἐδωρησαν
δράσιν ἐσομέ
ιν.

Ubi est exaratum errore *δωμαχοντες* pro *δώματ' ἔχοντες* neque videtur esse codicibus Hesiodeis et Origine consentientibus varia lectio illud *ἀνδράσιν ἐσ[σ]ομένοισιν*, sed tritum versus finem scriptum esse dixerim a Philodemo memoriae securius confiso pro rariore, qui apud Hesiodum legitur Theog. 512, Scut. 29. — In versu 82 apud Origenem legitur *ἐδωρήσαντο*.[1])

---

2) Quod ipsum propter metrum tribuerem neglegentiae librarii, nisi adducerer Tzetzae scholio ad opinionem, paulo quam fortasse audaciorem esse ipse concedo. Legitur p. 97. 11: *ἐδώρησαν· Ἀττικὴ ἀποκοπή, κἂν καὶ τοῦτο ὁ Πρόκλος Ἰωνικὸν λέγῃ.* Haec sane Tzetzae verba confusa quam maxime sunt. Nam scholion, quod commemoratur — nunc vero periit nec apud alios eius vola vel vestigium apparet — est aperte Choerobosci, non Procli, neque, id quod gravissimum est, in *ἐδώρησαν* est *ἀποκοπή*. At crediderim de *ἐδωρήσαντ'* fuisse scholion et in eo latere optimam praestantissimamque Alexandrinorum doctrinam e veteribus scholiis haustam aut ex Apollonii Herodianive libro nunc deperdito, quo licuit Choerobosco uti. Quae formae *ἐδωρήσαντ'* apocope utrum Attica an Ionica an Aeolica sit, nunc mittam quaerere. Re autem non perspecta abiit *ἐδωρήσαντ'* in *ἐδωρήσαντο* apud Origenem, in *ἐδώρησαν* apud Tzetzam. — Atque ad rem firmandam haec sufficiant hoc loco pauca. (Uberiorem de hac re disputationem ut conscriberet auctor huius dissertationis, non factum est adversa fortuna.) *Ἀποκοπῆς* illius cui in lingua prisca Latina et aliis linguis satis amplum fuisse locum constat Ritschelii et Whitnei studiis, in graeco sermone non est usus exceptis praepositionibus et paucis aliis vocabulis. (Cf. Ahrensium „Dial." I p. 212 sq., 149 sq., II 353; Meisterum „Dial." I 283 sq., II 117 sqq.; Gerthium in Curtii „Stud. z. gr. u. lat. Gr." I 2, 248 sq.; de *κάμμορος* Homer. et Hesychii glossam et W. Schulzium in Kuhns Zeitschr. XXIX p. 262). Amplioris *ἀποκοπῆς* usus non sunt vestigia nisi *ἔν* pro *ἔνι* (= *ἔνεστι*) E 740, *δ* 358, *ι* 134, 136, *η* 129, *τ* 173, 175 etc., *νὴ Δί* pro *νὴ*

Versus 86 postrema verba et versum 87 integrum laudavit Plutarchus in libro de aud. poetis p. 23c I 56B; de fort. p. 99f I 242 B tam diligenter, ut dixerim eum antea librum inspexisse. Sed loco utroquo pro vocabulo *δῶρον* exhibet *μή ποτε δῶρα*, quae est manifesta varia lectio, atque ea melior, ut suo loco erit demonstrandum. — Inde a v. 90 iterum adest testimonium Origenis (l. l.); consentit eius liber cum optimis codicibus imprimis cum C. Velut v. 90 *πρὶν μὲν γὰρ* C, Orig., *γὰρ* om. casu D; v. 91 *ἄτερ τε* C, Orig., *τε* om. D; v. 92 *κῆρας* optimi libri, Orig., *γῆρας* pars dett.; v. 93 qui vulgo legitur: *αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι* om. C, D, Mess.,

---

Δία apud Aristoph. Eccles. 779 et suo iure restitutum etiam Equit. 319; *πάρ* pro *πάρα* (= *πάρεστι*) v. *I* 42; fortasse etiam *εἰλήλουθμεν* pro *εἰληλούθαμεν* *I* 49 et alia nonnulla. Iam ut amplius quoque apocopen in usum vocatam esse censeam, commoveor cum Origenis et Tzetzae locis tum ea re, quod quae adhuc non poterant expediri, ea probata facillime intelliguntur; velut activae quae videntur verborum formae apud Homerum pro mediis, quae desiderantur; formae illae plurales in -*ῃs* et -*οις*, quae adhuc tam multum morabantur grammaticos, quod breviores ante vocales positae metro defendebantur, (conferas Brugmannum „Grundz. der vergl. Gramm.“, Fritschium „zum Vocalis. des herodot. Dial.“ p. 35 sqq.), quae apocope iam admissa ubique, ut par est, possunt pleniores legi, velut *χ* 280 (*οἷς* i. e.) *οἷσ' ἀγανοῖσ' βελέεσσιν*, quod mutandum videbatur Nauckio in *οἷσ' ἀγανοῖσι βέλεσσιν* ad restituendum *ἀγανοῖσι* abiecta dativi *βελέεσσιν* item vetustiore forma scripta memoria optime defensa, id quod adversariorum iustum excitavit risum ut Ludwichii „Arist. hom. Textkr.“ II p. 263 sqq.; (adminiculo fortasse est huic rei sexies in Homericis carminibus tradita forma *τοῖσδεσσι* (cf. Ludwichium l. l. p. 267 sq.) orta secundum hanc apocopem ex * *τοῖσ(ι) δεσσι*); formae vetustiores, quae adhuc cedebant digammae, velut *η* 17 *τ' ἐπέεσσι* mutatum in *τε Ϝέπεσσι*, ubi iam scribi volo *τ' Ϝεπέεσσι*; vox *γ'* eandem propter digammam adhuc immerito eiecta contra scriptam memoriam, velut *Λ* 548 *πρότερος τὸν γ' Ϝείσεται* (Nauck *πρότερος τὸν Ϝείσατο*); *ἔσσι* unice Homerica forma, velut *ρ* 388, *αἰεὶ χαλεπὸς περὶ πάντων ἐσσ' μνηστήρων*, de quo versu desperavit Nauck (Mélang. Gréc. Rom III 250), quod *εἷς* metro videbatur defendi; Aristarchi ad *α* 112 et *γ* 10 ex. gr. lectiones optimae, qui pro *καὶ προτίθεντο ἰδὲ κρέα* et *οἱ δ' ἰθὺς κατάγοντο ἰδ' ἱστία* non scribebat, ut adhuc credebatur *πρότιθεν*, *τοὶ δὲ κρέα* neque *κάταγόν τοι δ' ἱστία*, — nam aegre desiderantur mediae formae — verum *προτίθεντ' τοί δε* et *κατάγοντ' τοι δ' ἱστία*. Atque his et similibus locis credo ego primum illud *τ'* propter sequentem eandem litteram excidisse et paulo post formas prorsus neglectas ab aliis.

Orig. Qui versus τ 360 certe Homericus (cf. Plut. de aud. poet. p. 24 f: *ὡς Ὅμηρος· αἶψα γὰρ ἐν κακότητι κτλ.*) aut ab illo primo allatum est (et primum in margine), qui primus pro tradita voce *κῆρας* exaravit *γῆρας*, aut fuit potius in ipso archetypo, quippe quem iam supra viderimus fuisse parallelis locis Homericis exornatum, eoque factum est, ut *κῆρας* abiret in *γῆρας*.

Versus 94—98 affert Origenes; versus 94—98, 100—104 Plutarchus in consolatione ad Apollonium p. 105 d e (I 257 B) post versus Homericos Ω 522 sqq. (uterque cum C v. 94 *χείρεσσι*, quod om. D); versum 96—98 Stobaeus in capite *περὶ ἐλπίδος* CX, 6 (IV. 57 Mein.), scholiasta ad Thucyd. III 45 ut confirmet non satis idoneo exemplo sententiam suam: *πρῶτόν τις ἐρᾷ, εἶτα ἐλπίζει, εἶτα ἐγχειρεῖ*; versum 97 idem scholiasta Thucydideus consentiens cum libris, cum libri Plutarchi Origenis Stobaei variam exhibeant lectionem deteriorem *ἔμεινε* pro *ἔμιμνε*. — In versu 98 rectum exhibent *ἐπέμβαλε* Mess. eiusque fam. et [Plut. edd. Wytt. Duebn.] Orig. Stob.; contra *ἐπέλαβε* D, *ἐπέλλαβε* C [Plut. ed. Bern.], quod caret sensu; Proclus et Choeroboscus *ἐπέβαλε* legebant, quod censeo Rzachium (in symb. Prag. ad versum) secutus iam in archetypo fuisse, quod qui metro satisfacere volebant mutaverunt aut in *ἐπέλλαβε*, aut doctius in rectum *ἐπέμβαλε*.

Versum 99 quem exhibent libri Hesiodei non agnovit Plutarchus et mirum in modum substiterunt in fine praecedentis et Stobaeus et Origenes omisso v. 99, quem si legisset Stobaeus, dubito an additurus fuerit sententia ad finem perducta, Origenem vero additurum fuisse summopere contendo, cum in primis aptus sit ad demonstranda ea de qua agit Origenes, *γελοῖα* multa etiam apud Hesiodum inveniri. Neque Plutarchus apud Proclum quidquam de mutato Iovis consilio; atque apud Choeroboscum[1]) veterrimos scholiastas vidimus iure admiratos quaerere, qui factum sit, ut Pandora subito

1) P. 103. 15: *πῶς ἐλθοῦσα ἐπὶ κακοποιΐᾳ ἐπέσχεν ὥσπερ φειδομένη; ῥητέον ὥσπερ νομίσασα πάντα ἐξεληλυθέναι τὰ κακὰ τὸ πῶμα τῷ πίθῳ ἐπέβαλεν*; quibus verbis vide quantum non sciant interpretes veterrimi, quomodo rem explicent. At eis frustra quaerentibus statim victor respondit, qui legit postea additum versum, (vel Choero-

desisteret in opere suo exsequendo sine ulla nota ratione — 'quae eis fuisset notissima, si legissent versum 99. — Versum 100 unus Plutarchus laudavit, versum 101 Plutarchus, Stobaeus in capite περὶ τοῦ βίου κτἑ. XC. 33 (III 228 Mein.), Tzetza, qui eum Chiliadibus XI. 874 (ed. Kiessling.) ironice intexuit omissa γὰρ particula ut esset versus politicus. Porro Eustathius ad Iliad. p. 209. 45, attulit hemistichium prius huius versus, quo confirmaret usum vocis πλείη in nominativo singularis, versusque 100 et 101 exhibent libri deteriores Servii ad Bucol. VI 42 (ed. Thilo p. 72) additos a sciolo quodam ad haec meliorum librorum verba: ob quam causam irati dii mala duo immiserant terris, mulieres et morbos, sicut et Sappho et Hesiodus memorant. — Versus 102 αἱ δ' ἐπὶ νυκτὶ, quod exhibent optimi libri, firmatur testimoniis Plutarchi et Stobaei; cui ne praeoptaveris, id quod omnes praeter unum ni fallor editores fecerunt, Messanii ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ, quod particulae δέ non sit μὲν opposita. Nam eadem res est in versu *X* 157, quem attulit Sittelius (vide etiam Rzach. in symb. Prag. p. 171). Quod vero nonnulli codices Plutarchei, deteriores tamen, exhibent ἐφήμεροι pro ἐφ' ἡμέρῃ, dixerim errorem esse calami ortum ex Byzantino more pronuntiandi; et eadem videtur esse causa rasurae, in qua est littera η in codice C. — Versum 103 Stobaeus et Plutarchus afferunt defenduntque testimonio suo a Dindorfii coniectura αὐτόμαται, in quam incidit ille commotus v. 118. — Denique versus 104 a Plutarcho citatur l. l. et in libro de tuend. sanit. p. 127 d (I 312 B.)

4.

Iam in medium veniant Aetatum fabulae versus ab aliis laudati.

Versus 109 et 110 unus Tzetzes Chiliadum, ut solet, versibus suis intexuit X 301 sq. ita, ut in optimis libris leguntur. — Versus sequentes laudant et alii et Diodorus bibl. hist. V, 66 (II p. 93 sq. Vogel) propter Croni laudes ibi praedicatas; atque tantopere hic recedit a textu librorum Hesiodi manu scriptorum, ut eius varias lectiones e re esse censeam non exscribere

boscus ipse vel) Moschopulos p. 104. 7:. δοκοῦσι δὲ καὶ ἑκάτεροι μὴ τῷ ἐπαγομένῳ προσχεῖν τὸν νοῦν· ἐπάγεται γὰρ ὅτι τῇ βουλῇ τοῦ Διὸς τοῦτο ἐγένετο.

per singulos versus singulas, sed totius loci proponere textum vulgatum varia lectione Diodorea inter lineas exstructum.

ἐμβασίλευεν
111 οἵ μὲν ἐπὶ Κρόνου ἦσαν, ὅτ' οὐρανῷ ἐβασίλευεν·
ζώεσκον (D ἔζων ὡς)
ὥς τε θεοὶ δ' ἔζωον (v. l. δὲ ἔζωον) ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες
τε (D γε) κακῶν καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο
νόσφιν ἄτερ τε πόνων καὶ ὀιζύος· οὐδέ τι δειλὸν
νούσων τ' ἀργαλέων καὶ ἀπήμονες, οὐδὲ μέλεσσι
. . . .
γῆρας ἐπῆν, αἰεὶ δὲ πόδας καὶ χεῖρας ὁμοῖοι
ἐόντες
115 τέρποντ' ἐν θαλίῃσι κακῶν ἔκτοσθεν ἀπάντων·
[δ' ὡς] ἄλλα τε πολλὰ
θνῆσκον δ' ὥς θ'[1]) ὕπνῳ δεδμημένοι· ἐσθλὰ δὲ πάντα
[ἐπῆν D] [ἔφερε]
τοῖσιν ἔην· καρπὸν δ' ἔφερεν ζείδωρος ἄρουρα
ἐπὶ γαίῃ
αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον· οἵ δ' ἐθελημοὶ
εὔφρονες ἔργα νέμοντο
ἥσυχοι ἔργ' ἐνέμοντο σὺν ἐσθλοῖσιν πολέεσσιν
ἀφνειοὶ μήλοισι, φίλοι μακάρεσσι θεοῖσι.
. . . .

Atque in universum moneo in codicibus recentioribus Diodori eis locis, ubi non conspirat textus vulgatus Hesiodi et Diodoreus (v. 113, 113ª, 115, 118), saepius Diodorum corrigere sibi visos esse librarios missis factis eius variis lectionibus acceptisque vulgatis; quam ob rem recentiores illos hoc loco non curo. At vetustiorum librorum textum summi esse ponderis ad alteram recensionem restituendam infra cognoscemus.[2])

1) Sic C; θνῆσκ' ὥσθ' D man. pr., correctum in θνῆσκον δ' ὡς.

2) Bethium si sequimur (Herm. XXIV, p. 406), Diodorus versus ex ipso Hesiodeo suo libro petivit; contra ex Leonis sententia in indice lectionum Gottingensi anni 1894 p. 21 sq. exposita Diodorus hos quoque versus, sicuti cetera istorum capitum, debet ei, qui Epimenidis theogoniam composuit. Adest ergo aut Diodori ipsius testimonium aut falsarii illius; nam ab huius theogoniae auctore, quisquis est, versus ex ipso libro Hesiodeo haustos esse ne Leo quidem negavit. At non, credo, eam ipsam ob rem, quod Epimenidis pseudepigraphon librum ille confecit, auctoritas eius diminuitur, ubi res est de Hesiodeis. Est sane aliquid, quod censet Leo ab eo genuina poetae verba contorta esse, „ut multo sinceriora

— In v. 112 quid valeat ζώεσκον, infra videbimus. Versus 113 partem priorem laudat Herodianus rhetor (Walz VIII, 607, 7) nec recedit a libris Hesiodeis; idem valet de Eustathio ad Odyss. p. 1843, 46, qui affert v. 116 et de Porphyrio, qui in libro de abstinentia conscripto IV, 2 (p. 229 ed. Nauck) citat vv. 117—119 cum versus 116 verbis novissimis et paulo ante (III, 27; p. 227 N.) versuum 118 et 119 singula hemistichia; qui quam non peritus fuerit Hesiodearum rerum, vide ex eis, quae ante allatos versus docet. In v. 117 quod Diodori codex optimus exhibet pro ἔην potius ἐπῆν, non agnoverim, etsi per se optime stare potest, veram Diodori variam lectionem, sed translatam formam censeo ex v. 114. Hoc enim modo qui factum sit, ut abiret ἔην in ἐπῆν, facillime explicatur; non intellegitur ratio ἐπῆν in ἔην corrupti. In v. 118 moneo obiter Wakefieldii (silv. crit. I p. 117) coniecturam, qua voluerit ἄφθορον pro ἄφθονον scribi, refelli et refutari fragmento Aristonici in Choerobosci scholiis tradito.

Ceterum eorundem, de quibus adhuc egi, versuum 111—119 exstant mediae litterae in fragmento papyraceo, quod publici iuris fecit I. Nicolius (Rév. de phil. 1888 p. 113—117 frg. A). Prorsus congruit textus cum librorum mss. textu. Eiusdem fragmenti facies versa praebet versus 153—161 uno versu forte omisso; cf. infra p. 182.

Iam post versum 120, Diodoreum dico, alios duos fuisse, qui non inveniuntur in libris mss., suspicatus sim his collatis verbis Origenis (contra Celsum IV p. 216 Spenc.), cui iam supra cognovimus aliud ac nobis fuisse exemplar Hesiodei carminis

---

quam tum legebantur Hesiodi verba novisse videretur". Quod tamen improbo, cum versuum textus Diodoreus longe sit melior vulgato et ad interpretandum aptior; id quod infra videbimus (IV, 5). Itaque non commutatos esse versus a falsario demum maligno et ludente in re seria censeam, siquidem ex eius libro, non ex Hesiodeo ipso in Diodoreum pervenerunt. Immo, hoc si est factum, alterum iam adest argumentum, quo probatur versus, quos falsarius exhibet, re vera fuisse in exemplaribus Hesiodeis; quod nos offert Diodorus ipse. Nam tantae sunt discrepantiae inter falsarii textum vulgatumque, ut ne librarios Diodoreos quidem fugeret summum interesse; quam ob rem falsa quae videbantur eos corrigere studuisse iam supra dixi. Quod Diodorum quoque nonne credis intellexisse? Sane vidit et ipse; non correxit; ergo eiusdem recensionis fuit eius exemplar atque falsarii.

in manibus: ἀναγκαῖον ἦν τὰ ζώπυρα τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων ἀρξάμενα ὑπό τινα γεγονέναι φρουρὰν τὰ ἀπὸ κρειττόνων, ὥστε κατ' ἀρχὰς ἐπιμιξίαν γεγονέναι τῆς θείας φύσεως πρὸς τοὺς ἀνθρώπους. ὅπερ καὶ ὁ Ἀσκραῖος ποιητὴς ἐννοῶν εἶπε·

ξυναὶ γὰρ τότε δαῖτες ἔσαν, ξυνοὶ δὲ θόωκοι
ἀθανάτοισι θεοῖσι καταθνητοῖς τ' ἀνθρώποις.

Quibus versibus in aurei aevi descriptione optimum esse locum et per se apparet et comprobatur diserto testimonio scholiastae ad Arati Phaenom. v. 102 p. 61 ed. Bekker: ἢ τὸ δίκαιον τῶν προτέρων ἀνθρώπων θέλων δεῖξαι ὁ Ἄρατός φησιν ὅτι καὶ θεὸς οὖσα εἰς τὸ φανερὸν ἐφοίτα τοῖς ἀνθρώποις διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς δικαίους. τὸ δὲ ἀρχαῖον τὸ χρυσοῦν γένος, παρὰ τὸ Ἡσιόδειον· ξυναὶ γὰρ τότε δαῖτες ἔσαν, ξυνοὶ δ' αὖ θῶκοι. Iniuria sane collocantur versus in textu nostrarum editionum; sed iniuria quoque spurii habentur, quae Sittelii videtur esse sententia (Wiener Stud. XII p 46); nam diligentissimus erat in Hesiodo laudando Origenes et scholion Arati haud scio an pendeat ex Theonis doctissimis adnotationibus, quibus item non dubito fidem habere. Accedit quod ampliorem fuisse h. l. textum efficitur vel ex Diodoreo illo versu, qui immerito in nostra recensione numeratur 120.

Versus 122 et 123 notissimi antiquitus laudantur a plurimis scriptoribus non sine discrepantiis maioribus, quae intercedunt inter eorum verba et textum quem nos tenemus. Velut dicit Plato Cratyl. p. 397 e: λέγει τοίνυν (ὁ Ἡσίοδος) περὶ αὐτοῦ (sc. γένους χρυσοῦ)·

αὐτὰρ ἐπειδὴ τοῦτο γένος κατὰ μοῖρ' ἐκάλυψεν,
οἱ μὲν δαίμονες ἁγνοὶ ἐπιχθόνιοι καλέονται
ἐσθλοί, ἀλεξίκακοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Contra libri Hesiodei:

αὐτὰρ ἐπεί κεν τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψεν,
τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς
ἐσθλοί, ἐπιχθόνιοι, φύλακες κτε.

Scripsisse autem in altero versu Platonem ἐπιχθόνιοι, non ὑποχθόνιοι, quod nunc legitur in eius libris, probatur testimoniis Theodoreti in libro de martyr. p. 119, 40 (p. 323 ed. Gais-

ford), qui totum istum locum e Platonis Cratylo exscripsit, atque ipsius Platonis, qui vv. 122 et 123 laudavit Republ. V p. 469 a; ubi sane memoriae confisus est in laudando, inde facta sunt τελέθουσιν pro καλέονται et μερόπων pro θνητῶν, sed in vocabulo ἐπιχθόνιοι scribendo non potest errasse, quippe in quo ibi tota sit posita vis sententiae. Qui hunc Platonis totum locum ad verbum exscripserunt simulque versus Hesiodeos Eusebius in Praeparat. evangel. XIII, 11 p. 663 a (III 189 Dind.) et Hermogenes in libro περὶ ἰδεῶν apud Walzium Rhet. gr. III p. 320, 18, cuius in libro Platonico correctum erat θνητῶν, eorum testimoniis propria auctoritas est nulla.

Alter autem eiusdem atque Platonis textus est testes Aristides, qui in oratione ὑπὲρ τῶν τεταρ. II 230, 2 Dind. attulit versus 122 et 123; ubi item librarii nonnulli pro iusto ἐπιχθόνιοι, quod ab eo lectum fuisse ex ipsius disputatione patet, exaraverunt ὑποχθόνιοι. Quod modo monuimus de Eusebio et Hermogene, valet hoc loco de Photio Bibl. p. 693 H (p. 427 a ed. Bekker), qui totum hunc locum exscripsit ex Aristide. Tertius autem veniat in medium Platonis Aristidisque socius Plutarchus, qui tribus locis, quibus adumbravit sensum huius Hesiodei loci ipsius poetae verbis nonnullis (non versibus integris) prosae orationi intextis, de Is. et Os. p. 361 b (II 497 B.), de defect. orac. p. 417 b (III 87 B.), ibid. p. 431 e (III p. 124 B.) confirmat voces ἁγνοί, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων et illa quae sunt in v. 126. Themistius rhetor utrum Platonem exscripserit an ipsum Hesiodum in oratione in patrem p. 294 (edit. Dindorfii), incertum est; describit daemones Hesiodeis epithetis usus, in his voce ἀλεξίκακοι. Verba φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων leguntur etiam in scholiis Homericis ad A 222 (I 36 D; III 42 D = Matr. Anecd. gr. p. 409, 25). Contra cum Platone Plutarcho Aristide pugnat Lactantius instit. div. II 14 (ed. Fritzsche p. 105), qui vulgatam recensionem exscripsit. Macrobius quae docet in commentario ad Somn. Scipionis I 9, 6 (p. 511 ed. Eyssenhardt) confusiora sunt, quam ut sint ullius nobis momenti.

Sed iam quaeritur, legerintne Plato Plutarchus Aristides eos versus, qui sunt in nostris libris 124 et 125. Quod ego nego nixus argumento ex silentio, quod vocatur. Nam non

potuit Plutarchus omittere, si legisset hos versus, quae insunt in eis gravissima ad eius de daemonibus disputationem; at statim a fine v. 123 ad v. 125 ter transit. Neque Plutarcho versus notos fuisse iterum testis est Proclus, qui tacet de eis in scholiis, nimirum quod non tractati erant in Plutarcheo commentario. Ab Alexandrinis denique, qui quid dixerint de versibus scire licet ex Choerobosci commentario, Etymologicis Magno p. 437, 37 Gudianoque p. 249, 4, scholiis ad Homeri A 3 (I 5 D; p. 2 a Bekk.); Matrang. An. gr. p. 377, 7; Crameri An. Ox. I 186, 3, An. Par. III 271, 13; 304, 15, de versibus 124, 125 disputatur ut ab Hesiodo de herois dictis, quin etiam inde petuntur argumenta ad etyma vocis *ἥρωες* quaerenda. Quae quadrant de eisdem versibus post v. 253 repetitis; ab hoc contextu, si qua sana Alexandrinorum ratio erat, aliena sunt quam maxime. Contra cum nostris libris Hesiodeis, qui omnes exhibent hos versus, faciunt Tzetzes et Moschopulus interpretes recentissimi p. 120. Eustathii adnotatio p. 17, 39 et 379, 23 et Themistii in oratione VIII p. 108 Dind. utrum ad hos versus an ad v. 255 pertineat, nequit dici; neque quidquam ad rem, nam Eustathium aliunde vidimus exemplar vulgatae recensionis manibus tenuisse. Testimonium autem Sexti Empirici in Hesiodeis versibus laudandis ceteroquin satis neglegentis in libro adv. mathem. IX 16 (p. 394 ed. Bekker)[1]) certius affirmo referendum esse ad v. 252 sqq., non ad 124 sq., cum ex praecedentibus eius verbis manifestum sit eum de diis disputare, quo nomine credo necesse est dixerit illos *Ζηνὸς ἀθανάτους φύλακας*. Sin autem nihilominus, qua erat neglegentia, daemones dixerit, inde efficitur eum exemplar nostrae recensionis legisse.

Ne de testimoniis Etymologici Magni p. 675, 23 neve Eustathii ad Odyss. p. 1541, 12, quibus verba pauca Hesiodea confirmantur, sim longus, statim commemoro Etym. Magn. p. 745, 7, ubi laudatur v. 131 fere integer. — Versum 132 attulit Meletius apud Cramerum An. Oxon. III p. 119, 13, qui homo Byzantinus cum libris deterioris notae consentit in *ὅταν ἡβήσειεν*; versus 134 posterius hemistichium auctor lexici

1) Qui *φοιτῶντες* commutavit in *φοιτῶσιν*, ut posset adnectere versum Homericum π 487.

Vindobonensis p. 15 N. ad comprobandum usum verbi *ἀμπέχειν*; versus 135—139 Porphyrius de abstin. II 8 (p. 139 N.), qui dubites an laudaverit eos Hesiodi libro non inspecto. Nam commemorat versus ut notissimos non addito nomine poetae atque adeo non consentit cum textu Hesiodeo, ut versus eius vel legibus metricis repugnent. Sed fortasse aliquomodo expediuntur difficultates, si modo pauca eius verba, quae adhuc in versibus legebantur, attribuimus prosae orationi hunc in modum: *διὸ Θῶες μὲν οἱ ἐν μεθορίοις Θράκης οἰκήσαντες μηδενὸς ἀπαρχόμενοι μηδὲ θύοντες, ἀνάρπαστοι κατ' ἐκεῖνον ἐγένοντο τὸν χρόνον ἐξ ἀνθρώπων, καὶ οὔτε τοὺς οἰκοῦντας οὔτε τὴν πόλιν οὔτε τὸν τῶν οἰκήσεων θεμέλιον ἐξαίφνης οὐδεὶς εὑρεῖν ἐδύνατο· „ὕβριν γὰρ ἀτάσθαλον“ οὐκ ἐθέλεσκον ἴσχειν*, (quibus verbis constat in editione Nauckii finis versus 134 initiumque versus 136)

οὐδ' ἀθανάτους θεραπεύειν
ἤθελον, οὐδ' ἔρδειν μακάρων ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς,
ἡ θέμις ἀθανάτοις

τοιγὰρ οὖν αὐτοὺς

Ζεὺς Κρονίδης ἔκρυψε χολούμενος, οὕνεκα τιμὰς
οὐκ ἐδίδουν μακάρεσσιν

οὐδ' ἀπήρχοντο τούτοις, καθάπερ ἦν δίκαιον.

Iam unum[1]) restat, in quo non congruat Porphyrii textus cum libris: *ἀθανάτοις* pro *ἀνθρώποις*, quod etsi per se sane potest stare, tamen missum facio. Nam persuasum est mihi Porphyrium versus, quos non bene memoria tenebat, immiscuisse verbis suis. — Contra varia lectio reperitur in v. 141, ubi interpretes exscripti a Proclo et Choerobosco (cf. supra pp. 61, 83, 131), pro *μάκαρες θνητοῖς* legerunt *φύλακες θνητῶν*; non tamen cum Hagenio (in Meletem. in Hesiodi Erga, 1848, p. 20) haec verba in nostris libris sunt scribenda.

Versus 151, quippe in quo dicat Hesiodus *μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος*, advocatur ad explanandam vocem *μελάνδετον* i. e. *σιδηρόδετον* ad O 713 in scholiis Homericis, minora quae vocantur (IV 104 D; VI 151 M), et ad Euripidis Phoeniss. 1091 Schw.; idem a scholiasta Apollonii Rhodii ad A 430 Keil,

1) Nam *ἐδίδουν* pro *ἐδίδων* huc non cadit.

qui disputat contra Apollonium Sophistam (cf. lex. Homeric. p. 166, 17 Bekk. s. v. *χαλκέα*) et ab auctore Etym. Magni p. 805, 32, qui dubito an nonnihil hauserit ex scholiis Apollonii Rhodii; ubi res est de aeris ante ferrum inventum usu aut de utriusque metalli inter se commutatis nominibus. Hoc sane cadit ex Apollonii recta sententia in Homerum, ubi ferrea quoque arma dicuntur aenea; contra de Hesiodo scholiastae sententia est rectior. In eodem versu Porphyrius, quem iam novimus et noscemus denuo hominem, pro *οὐκ ἔσκε* exhibet *ἀπέκειτο* in Vita Apollonii VI 2, 2, ubi apertum est ex sententiarum conexu eum suum ad finem verba poetae commutasse. — Versus 157 deest in papyro Nicoliano A (vide ad v. 120), ubi servatis mediis versuum 153—161 litteris fragmentum *ογενος* versus 156 subsequitur *εδικ* versus 158. Quam ob rem Nicolius, ut qua de causa excidissent haec verba patefaceret, initiis versuum 157 et 158 coniecit fuisse exarata aliquomodo similia vocabula. Sed ut taceam de similibus vel eisdem verbis eodem loco duorum versum subsequentium molestissime iteratis, fit accepta Nicolii sententia altera recensio; sed tam longe progredi coniectando nego licere cum alibi tum hoc loco, cum fragmentum, de quo res est, nostrae aperte sit recensionis cl. v. 111—119. Neque video, cur non liceat credere casu a librario omissum esse versum. Nam excidisse eum et adfuisse in archetypo, quippe qui ex rerum conexu deesse non posset, nemo negabit. Iam igitur ne hoc quidem loco adest varietas.

Versum 163 postquam commemoravimus laudari a Tzetza ad Lycophronis v. 933, iam videamus, quantopere variet altera recensio post versum 173 vel potius ante v. 174. Exstat autem veterrimum scholium a Choerobosco sine ulla rei notione exscriptum p. 137, 7, cuius lemma est versus integer: *τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων, τοῖσιν Κρόνος ἐμβασιλεύει.* Versus ille, qui nunc numeratur 169, cum scholium excipiat scholium versus 159, prorsus deest in libris mss. Hesiodi; nam quod legitur in paucis recentioribus, hic missum facio, cum illuc eum illatum esse e Choerobosci demum scholio atque id aetate recentissima sit manifestum. Neque enim Tzetza vel Moschopulus istum noverunt vel explicaverunt, et, id quod gravissimum est, legitur

ante v. 170, ubi eum non fuisse statim videbimus. Neque omnino in ea, quam tenemus, recensione ei locus sedesque est. Rursum tamen, quin vere Hesiodeus sit absque Alexandrinis interpretibus lectus, ne id quidem dubium. Accedit enim ad Didymi testimonium locus Zenobii hic (III 86 Paroem. gr. ed. Leutsch): *εἰς Μακάρων νήσους· ὁ Ἡσίοδός φησι Μακάρων νήσους εἶναι περὶ τὸν Ὠκεανόν* (v. v. 171), *κἀκεῖ τοὺς εὐδαίμονας οἰκεῖν ὑπὸ Κρόνου βασιλευομένους. ὅθεν ἐπὶ τῶν μακαρίων εἰρῆσθαι τὴν παροιμίαν.* Refert autem Didymus apud Choeroboscum p. 137, 8 et hunc et sequentem (vel potius sequentes, v. infra) versus *ἐξοικίζεσθαι τῶν Ἡσιόδου ὡς φληναφώδεις.* At non insunt nugae in v. 170 vel in sequentibus; iterum igitur apparet non agi de versibus, qui sint nostrae recensionis, id quod permulti fuere quos fugeret. Atque qui quaeso potuit id fieri, cum ne primus quidem versus, cuius traditur athetesis, adesset in nostris libris? Sequitur credo, ut ne alter quidem aliive ibi inveniantur. Lux autem accensa est rei clarissima, cum Fortunae benevolentia ut ipsorum versuum proscriptorum vestigia invenirentur factum est. Nam in fragmento 2 papyraceo B, quod una cum illo, de quo supra diximus, publici iuris fecit Nicolius, ante versus 174—182 fragmenta inveniuntur quattuor versuum, quorum nullus nostris in libris Hesiodeis fertur. Quae qui primus conatus est explere Weilius (Rév. de philol. 1888, p. 173—175), explevit optime (cf. etiam huius diss. IV, 5). Sunt ergo versus hi:

τοῦ γὰρ δεσμὸ]ν ἔλυσε πα[τὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
τοῖσι δ' ἄρα ν]εάτοις τιμὴ[ν καὶ κῦδος ὄπασσεν
οὐδ' οὕτως κλυτὸν ἄ]λλο γένος θῆκ' [εὐρύοπα Ζεὺς
ἀνδρῶν οἳ] γεγάασιν ἐπὶ [χθονὶ πουλοβοτείρῃ.

Iam non cunctatus contendo necessario praecedere versum Didymi versibus Nicolii; nam nullum est dubium, quin ex eodem atque illi fonte profluxerit. Fuerunt versus quinque in eo libro olim Alexandrinis praesto, cuius est progenies liber ille papyraceus. Quinque autem cum fuerint, *τοὺς ἑξῆς* in scholio Didymeo pro Choerobosci *τὸν ἑξῆς* scribi iubeo. Quod vero fragmentum B alterius esse recensionis diximus, cum fragmentum A nostrae, quam tenemus, aperte sit, ea quoque re

adiuvamur, quam Nicolius me comiter per litteras docuit. Fragmenti A enim vocabula non seiunguntur, id quod fit in fragmento B; qua re et ipsa est perspicuum folia non esse eiusdem libri.

In versus 174 laudando exhibet ὤφελλον anonymus apud Cramerum Anecd. Oxon. III p. 221, 19; sed, cum aetatis sit recentissimae, haud ita magna mihi videtur eius auctoritas. Neque ut ei adstipuler commoveor quibusdam libris Hesiodeis recentissimis, qui idem exhibent, quippe quibus et ipsis iam supra dixerim me diffidere, ubi recedunt a libris antiquioribus. Et qui gentis Messaniae est (v. Rzach. sert. Hartel. p. 211) libri Parisini coniectura: γρ. ὄφελον videtur demonstrari, qui fons fuerit illius ὤφελλον; nisi hanc formam aoristi dixeris.; cf. v. 14, 33, 213, 412, 445. Istis igitur auctoribus non fisus nihilominus variam lectionem ὤφελλον statuo, quod in B tradita est haec forma, quae insuper est et vetustissima (vide H 390, Ξ 84, X 483, Ω 764, σ 401, ξ 68 etc.) et optima.[1]) — Versus 175 et apud Crameri anonymum, quem modo dixi, et in B legitur, v. 176 apud Eustathium ad Iliad. p. 168, 43, qui mero casu omisit particulam δή. Porro affert Clemens Stromat. V p. 727 P (III 110, 5 Dind.) huius versus extrema verba et duos sequentes integros, sed cum sua alii debeat, quem iam nescimus, maluerim eius testimonium hoc loco neglegere, quod quam incertum sit, demonstrat etiam Eusebius in Praeparat. evangel. XIII 13 p. 668 d (II 220 Dind.). Qui totum locum Clementis exscripsit, sed longe recedit ab eo ipso; nam initio versus 168 legit pro pravo Clementei unius libri γινόμενοι στεινόμενοι non minus corruptum et ipsum. Luce ergo clarius est totum hunc locum iam ab antiquissimis temporibus fuisse satis corruptum, quare lectiones Clementis nullius sunt momenti. Clementis vero huius rei culpam non esse vel ex eo apparet, quod aliis locis, quibus verba Hesiodea laudat, semper se diligentissimum praestat. Reliqua denique huius versus testimonia exstant in Etym. Magno p. 608, 48 et in B, qui consentit cum libri C forma σιδήρεον (σιδήρειον D). Ceterum moneo hos versus tradi in B fere inte-

1) Conferas Brugmannum in Curtii Studien IV 126 de productione syllabae in ὤφειλον; de forma ipsa apud Hesiodum vide Rzachium „der Dialekt etc.“ p. 391.

gros exceptis verbis cuiusque novissimis, nisi quod versus tertii decimi papyri i. e. v. 182 octo mediae fere litterae restant; et aeque facies versa tam est hoc loco mutilata, ut merae ruinae litterarum versus ultimi dignosci possint (v. infra p. 191), quas res me liberalissime per litteras docuit Nicolius.

In versu 177 pugnat cum librorum Hesiodeorum forma *παύσονται* papyri B *παύονται*, quod non solum non est corruptum, verum habendum lectio optima; contra de versibus 178—180 consentiunt inter se libri et B, de versu 181 libri, B, Aristides in Romae laud. I 369, 1 Dind., Zonaras p. 1726 v. *τελέθωσι*, (nisi hic omittendus potius est, quod ex Choerobosco sua hausit), de versu 182 libri et B, quantum ibi legitur; nam nihil exstat nisi ... *τὴρ παίδε* ... — Ad v. 186 quod sunt qui Marci Antonini referant *τῶν εἰς ἑαυτ. βιβλ.* XI *λβ'* *μέμψονται δ' ἀρετὴν χαλεποῖς βάζοντες ἔπεσσιν* (ubi codex veterrimus A *βαστάζοντες*), malim ego hoc neglegere, quippe quod loco testimonii non habeam. Nam nequit demonstrari ab Hesiodo Antoninum haec verba suum in usum esse mutuatum, cum nullum sit additum verbum absitque inprimis nomen poetae. — Nec sunt instar testium Eustathius, auctor Etym. Magni, Scholiasta Hom. ad P 197, qui voces *γηράντεσσι τοκεῦσιν* versus 188 laudaverunt; quos debere sua Choerobosco vidimus supra p. 84 extr. Ad v. 190—196 nihil deteximus novi in Stobaei capite *περὶ κακίας* II 9 (p. 180 Hense), nisi quod in v. 191 plures eius libri exhibent *οὔτ' ἀγαθοῦ*, contra Escur. et Paris. *οὐδ' ἀγαθοῦ* (liber Hesiodeus D mirum in modum: *οὔτε 'γαθοῦ*); sed hoc nihil ad nos. — Nec quidquam est lucri ex testimonio schol. ad Soph. Phil. v. 456 (p. 365 Pap.), qui partem versus 193 affert ut simillimam versus Sophoclei *ὁ κακὸς νικᾷ τὸν ἀγαθόν*, cuius verbi forma praesenti perductus scripsit *βλάπτει* pro *βλάψει*; vel ex lexico Vindobonensi p. 96 N., quod qui conscripsit, versum 195 laudat ad comprobandam significationem *φθόνος* vocis *ζῆλος* conspiratque cum Hesiodeis libris.

Excepto vocabulo postremo legitur versus 197 cum voce *ἴτην* v. 199, versu 200 integro, primis verbis versus 201 apud scholiastam Hom. *β* 65 (I 84 D.) eodemque modo in Crameri Anecd. Par. III p. 429, 3, ubi tamen abiit pro librarii neglegentia

καὶ τότε δὴ in καὶ τὸ δὴ et λείψεται in λήψεται. Porro laudatur v. 197 in schol. ad Arati Phaen. v. 96 Bekk., cumque sequentibus coniunctus in schol. ad Sophoclis Oedip. Col. 1676 p. 465 Pap. et in inscriptione vici, cui Menidi nomen est, publici iuris facta a Conzio in Philol. XII p. 566 meliusque a Kaibelio in epigr. graecis e lap. collectis 1110; quocum pugno, cum titulum secundi fere saeculi esse negem posse affirmari; res est incerta. Ceterum cf. Usenerum Rh. M. XXIII, 148. Quam inscriptionem qui insculpsit, aut neglegentiae indulsit aut memoriae nimium infirmae aut data opera verba Hesiodea commutavit. Velut in v. 198 exhibet φάρεσσι καλυψαμένα, quam dualis numeri formam defendebat immerito Rzachius Wien. Stud. V 188 atque in textum recepit aeque ac Sittelius et Kirchhoffius repugnantibus omnibus libris Hesiodeis. Censuit autem traditam librorum formam καλυψαμένω ex καλυψαμένα mutatam esse a librariis propter excipientem προλιπόντ'. Sed obstat Sophoclis scholiasta l. l. atque, id quod multo gravius est, scholiasta Homer. ad Θ 455 (V. 285 M.): πληγέντε κεραυνῷ· ὡς καλυψαμένω χρόα καλόν; cf. I p. 191, 9—12 Dd., ubi προλιποῦσα legendum esse pro προλιποῦσαι iam supra diximus p. 134. Et summi est ponderis testimonium eius, cuius in manibus iam cognovimus aliud atque nostrum exemplar fuisse Hesiodei carminis, Apollonii Dyscoli eadem affirmantis in libro de constr. p. 209, 12 Bekk. Neque valent contra, quae dicit scholiasta ad Eurip. Med. 439 Schw.: παρὰ τὸ Ἡσιόδου· λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένα Αἰδὼς καὶ Νέμεσις; nam et solutis numeris afferuntur Hesiodea verba, inde verisimile est a scholiasta non inspectum esse Hesiodi librum, et καλυψαμένα est hoc loco potius singularis feminini generis Dorica forma, id quod comprobatur varia lectione καλυψαμένη. Rectius quam καλυψαμένα videtur exhibere titulus φάρεσσι cum α producto ex usu Homerico (cf. Herod. περὶ μονήρ. λέξ. p. 35, 22, Curtius, Grundz. der Etym.[4] p. 301). At de usu huius verbi Hesiodeo nihil constat, cum sit apud eum ἅπαξ λεγόμενον; neque ignotum, quantum differat interdum Hesiodi versus ab Homerico. Itaque ne hoc quidem loco neglegendum est, quod pugnant cum inscriptione ad unum omnes libri Hesiodei et scholiasta Sophoclis. Hoc enim nonne potuit fieri et ipsum, ut, qui sculpsit titulum, ex usu Home-

rico multo magis sibi trito corrigere sibi videretur formam insolitam Hesiodi? Atque ne fidem habeam inscriptioni, commoveor imprimis versibus 200 et 201, qui hic sunt in titulo:

Αἰδὼς Εὐνομίη τ[ε Διὸς δὲ δικ]ηπόλοι ἥστη[ν (cf. Kaibel. l. l.)
αὐτό[ματ]αι δὲ πύλ[αι μύκον] οὐραν[ῷ, ἕ]ς [δ' ἴτ]ον Ὧραι.

Quid, quod coniunctus est versus Hesiodeus cum Homerico (posterior est enim E 749), atque uterque quam maxime recedit ab ipsis poetarum verbis? Huncine testem digniorem videri, cui fides habeatur, libris optimis? Sed redeo ad versum qui sequitur 199. Ubi traditur in omnibus codicibus *ἴτην*. Iterum recentissimorum *ἴτον* missum facere credo esse eius, qui recensendi munere fungatur; iniuria ergo defendit *ἴτον* Rzachius Wien. Studien V, 188, Dialekt p. 438, 453 et receperunt editores multi. Nam vulgatam lectionem confirmant scholiasta Homericus ad *β* 65, anonymus in Aldi Horl. Adon. p. 181, solutis numeris qui versum attulit, dubito an etiam anonymus apud Cramerum Anecd. Oxon. IV p. 273, 22: *ἰτῆν παρὰ Ἡσιόδῳ κανόνισον καὶ τὸ ἑτέρηφι* et scholiasta Sophocleus (l. l.) corruptela sua *ἴσαν*. Cur autem in inscriptione una legitur *ἴτον*? Eandem ob ipsam rem, quam propter hanc formam recentiorum codicum librarii scripserunt, Bentleius postulavit, multi receperunt editores, quia exspectamus tempus futurum e sententiarum conexu. At subest futuri vis ipsi formae traditae *ἴτην*! Quem usum ut non dicam in aliis linguis, slavicis scilicet, creberrimum esse, ex quo tempus praeteritum futuri munere fungitur, affero exempla graeca A 299, Δ 160, E 154, Eurip. Med. 78. Itaque non est, cur illo *ἴτην* commoveamur ad periculum coniectandi faciendum hoc loco supervacaneum.

Versum 200 laudavit scholiasta Homericus (l. l.), ex parte scholiasta Sophoclis (l. l.) Eustathius ad Iliad. p. 723, 15 propter *προλίποντ'* versus praecedentis, p. 866, 60; 966, 12; 1373, 64; 1434, 33; v. 201 item ex parte scholiasta Homericus l. l.; cuius *ἀνθρώποις* trisyllabum non moror.

5.

Fabellae (*Αἴνου*), quae continetur versibus 202—212, versum primum multi laudaverunt. Quorum e numero seiungendi

sunt, qui carent propria auctoritate, cum pendeant ex aliis. Velut auctor Etym. Gudiani s. v. *αἶνος* p. 19, 24 sua ad verbum exscripsit ex Ammonio p. 6 *αἶνος* Valck. itemque Apostolius prooem. § 5 (Paroem. gr. Leutsch) et anonymus apud Cramerum Anecd. Par. III 371, 20 (at ibidem 36, 25 vetustior exhibetur doctrina). Praeter hos afferunt versum Doxopatres (Walzii Rhet. II p. 143) additis Hesiodi et Hesiodei carminis nominibus ad comprobandam significationem vocabuli *αἶνος*, ubi *βασιλεῦσ'* in nonnullis libris legitur, et auctor Etym. Florentini p. 15 s. v. *αἶνος*, qui exhibet et ipse *βασιλεῦσ'* ut Hesiodi liber C; contra D Mess. alii *βασιλεῦσιν*. Quae formae quam saepe sint inter se commutatae, optime elucet ex Eustathii testimoniis p. 855, 2; 1158, 35; 1425, 48, qui ter priore hemistichio usus bis *βασιλεῦσιν* tradidit, semel *βασιλεῦσ'*. Sed non plus valet, quod hac de voce dissentiunt libri testimoniaque, quam quod Ammonius l. l. eumque qui sequuntur exhibent in fine versus *νοέουσι καὶ αὐτοῖς*. Quod aeque non curo; nam aperte non inspecto libro laudavit Ammonius versus notissimos, qui semper citantur, ubi petitur exemplum vetustissimae fabellae; v. ex. c. schol. Arist. Vesp. 1251. — Ammonius (l. l.), Theon in progymnasmatis p. 176 (Spengel. Rhet. II 74), Gregorius Corinthius de dial. Ion. p. 475, 5 Schaef., auctor Etym. Magni p. 467, 54 consentiunt in v. 203 laudando et inter se cumque libris Hesiodeis, neque est, cur versum eo quo traditur modo stare posse negemus (cf. ex. c. Steitzium, Werke und Tage, ad v.). — Epimerismon Homericorum apud Cramer. Anecd. Oxon. I 238, 30, ubi affertur v. 205, tam neglegenter est rescriptus liber, ut non solum legatur *γναμποῖσι* pro *γναμπτοῖσι*, verum etiam *ἐλέον* bis, etiamsi ipse auctor disputat de oxytonis in —*εος*.

Versus 207 hemistichia invenis apud scholiastam ad Euripidis Hec. 678 Schw. Eustathiumque ad Iliad. p. 55, 20, versum 208 in epimer. Homericis apud Cramerum Anecd. Oxon. I 433, 1 et apud Choeroboscum septies (ed. Hilg. II p. 27, 14; 326, 1; 328, 5; 332, 25, Cram. Anecd. Oxon. IV 171, 29; 201, 3; 209, 3); ubi summa est neglegentia librarii praesertim codicum Oxoniensium. — Inde a v. 210 usque ad v. 221 suppeditat nobis sua papyri B Navilliani facies versa (v. supra); cuius fragmenta

versuum 210 et 211 πρὸς κρ]είσσονας ἀντιφ[ερίζει et αἴσ]χεσιν ἄλγεα [πάσχει conspirant cum codd. Hesiodeis. Idem versus insunt in Stobaei περὶ ἀφροσύνης IV, 3 (p. 220 Hense), v. 210 Theonis in progymnasmatis l. l., in Etym. Magno p. 113, 15, in Nicolai progymnasmate apud Walzium Rhet. I p. 281, 1 (ubi falsum κρείσσονα). Atque apud omnes, quos dixi, auctores magna est initii versus perturbatio in libris, neque quid quisque legerit, pro certo potest affirmari; exstant enim ὅς κ' ἐθέλει (C D Hesiodi), ὅς κε θέλοι (familia altera codicum Stobaei), ὅς κ' ἐθέλῃσι (Bodleianus Etymologici), ὅς κ' ἐθέλῃ, alia. — Ultimi denique fabellae, de qua agimus, versus fragmenta leguntur in B haec: τ]ανυσίπτερος ὄ[ρνις.

6.

Versibus, qui sequuntur 213—307, continetur τὸ εἰς δίκην καὶ ἀρετήν. Cuius partis initium tam est mutilatum in B, ut exstent

. . . δίκ]ης, μηδ' ὕβριν ὄφελλ[ε·
. . . δειλ]ῷ βροτῷ· οὐδὲ μὲν ἐσθ[λὸς
. . . δύν]αται, βαρύθει δέ θ' ὑπ' αὐτοῦ,

ubi novissimum αὐτοῦ manifesto ortum est calami lapsu. Aliunde tamen ad nos pervenit notio lectionis variae, quae inerat in eis, quae iam desunt in B. In Etym. Magno legitur p. 43, 5 (cf. not.) scholion Choerobosci ad v. 213, quod supra p. 85 coniunximus cum Choerobosci eiusdem versus scholio p. 160, 2—7; quod, etsi non potest illud quidem pro certo adiudicari aut Aristonico aut Didymo, nihilominus est procul dubio e veterrimis Alexandrinorum. Unde discimus illos legisse loco vocis ἄκουε potius ἄιε; de qua vide Fuhrium Jahrbb. XX p. 371 et cf. K 160, Λ 632, O 130. Cuius ι cum correptum sit[1]), efficitur alia quoque nescioquae verba aliter se habuisse in versu Alexandrinorum. Sed in lemmate scholii Choerobosci, quod legitur in codice Vossiano Etym. Magni, est versus, qui pugnat cum metro: ὦ Πέρση, σὺ δ' ἄϊε δίκης κτλ. Quod quomodo expediendum? Sequitur, opinor, ut Choerobosci exemplar fuerit

1) Nam forma ἄειε, de qua vide Kuehner-Blass I p. 355, valde dubito an argumentis firmari nequeat.

nostrae recensionis, cuius pro ἄκουε ille ἄιε, quod in scholiis invenit, posuit. In B igitur, qui versum supplebit, rectius ἄιε scribet, cum huius papyri fragmentum alterius recensionis esse constet. Sed quid sit praeter ἄιε supplendum, ego non ausim coniectare. — In versu 216 codicis C μετελθεῖν librarii errore ortum esse clamant testes, qui ad unum omnes faciunt cum codicis D παρελθεῖν: papyrus B, Proclus p. 169, 19, Choeroboscus in Etym. Magno (l. l.), schol. N 588 (II p. 24 Dd.) et B 233 codicis Lipsiensis p. 64a Bekk., auctor epimerismorum Homericorum apud Cramerum Anecd. Oxon. I p. 293, 10[1]), Etym. Magn. p. 800, 7, Suid. p. 1069, 6 I[b] Bernh. De eiusdem versus ἑτέρηφιν non iam lis est sub iudice; cf. imprimis Delbrueckii syntakt. Forsch. IV p. 60 sq. Adiungitur —φι ad thema, non ad casum (v. schol. M 153, Apollonium de adv. p. 576). Nihil ergo valet Eustathius ad Iliad. p. 1251, 25, qui originem formae duxit a dativo casu, vel anonymus Crameri IV p. 273, 22 iam supra ad v. 199 p. 187 citatus, cuius obscura disputatio neglegentissime insuper exarata est. Et pariter errant, qui, cum teste auctore Etym. Magni (l. l.) concedant τὰς διὰ τοῦ —φι ἐπεκτάσεις κατὰ πᾶσαν πτῶσιν γίγνεσθαι, huius versus ἑτέρηφι ortum esse contendant e nominativo singularis.

De v. 217 consentiunt cum libris B, ubi alterum exstat hemistichium, et schol. Eur. Hec. 1192 Schw. Sittelii coniectura, de qua v. eius apparatum criticum, prorsus est supervacanea; nititur uno titulo, quem qui exsculpsit, non liber est a suspicione neglegentiae; forma εἶσχε inaudita; nulla ratio, qua eam hic scribere cogamur. — Idem atque de v. 217 consensus est de v. 218 inter B et Euripidis scholiastam, quem modo attuli, nisi quod hic pro ἐς τέλος exhibet εἰς τέλος cum codice Mess. Hesiodeo. Nec dissentiunt de hemistichio posteriore Clemens Protrept. X p. 74 P (I 95, 8 Dd.) et schol. Pind. I. I 56 p. 370 Ab., sed hic versum Homero vindicat deceptus similitudine, quae intercedit inter hunc versum et Homericum P 32. — De sequentibus versibus non est, cur longus sim: in v. 219 exhibet B

1) Quo in libro, quem iam saepius vidimus exaratum neglegentissime, rescriptum est ἑτέρηφιν, non quod haec fuerit sententia auctoris, quae legitur in libro Lipsiensi et aperte pugnat cum ἑτέρηφιν, sed neglegentia librarii.

δίκῃσιν cum *ν* ephelcystico; versus 222, novissimi in B, agnoscit dubitanter Nicolius *ἦθ*]*εα λ*[*αῶν* tres litteras; afferunt v. 227 Eustath. ad Iliad. p. 743, 36 et p. 1007, 16, quo loco particulam *δὲ* post *τοῖσι* exaratam versus non recipit; v. 228 prius hemistichium unus scholiasta ad Pind. P. VIII, 1 p. 202 Boeckh; v. 233 et 234 Plato republ. II p. 363 b, qui alterum versum ex suorum verborum syntaxi commutavit, alteri adiecit *φησί*; v. 223 solum Plutarchus, cuius fragmentum Eusebius in praepar. evang. III 1 p. 86 d (I 105 Dd.) conservavit, et scholiasta ad Nicandri Alexipharm. 448; v. 234 Clemens Alexandrinus in Paedag. III p. 266 P (I 345, 13 Dd). Nusquam in his variae lectionis est vestigium. — In versus 235 fine quod exhibet C *γονεῦσι*, D *τοκεῦσι*, Rzachius in symb. Prag. 184 optime perspexit non solum inesse in codicis D versu alliterationem quae vocatur trium *τ*, sed etiam in altero binorum *τ* et *γ*. Idem non recte utra vere Hesiodea sit, diiudicari posse mea quidem sententia negavit. Nihil sane ad rem scholiasta Aristoph. Pac. v. 1325 ed. Blaydes., cuius testimonium, ut omittam alia, pertinet ad hemistichium prius, non ad versum integrum; sed adest, cuius semper est summa auctoritas in laudandis Hesiodeis versibus, Plutarchus praec. bene ger. reipubl. p. 824 c (V. 125 B.): *εὐφορίαν τε γῆς ἄφθονον εὐμενῆ τε κρᾶσιν ὡρῶν καὶ τίκτειν γυναῖκας ἐοικότα τέκνα γονεῦσι καὶ σωτηρίαν τοῖς γεννωμένοις εὐχόμενος κτἑ.*; et insuper maior ubique fides est codicis C quam D. Pulchriorem autem binarum litterarum alliterationem qui omnino non novit nescio qui vir doctus, animadvertit alliterationem verborum *τέκτουσιν* et *τέκνα*, quam augere studuit addito *τοκεῦσιν*. Hoc, opinor, modo via ac ratio corruptelae patet; contra quomodo *τοκεῦσιν* genuinum potuerit abire in falsum *γονεῦσιν*, perspici non potest.

Suidas s. v. *δίκης* I[a] p. 1364 B. versum 238 aliquomodo mutatum inseruit disputationi suae; exscripsit sua ex Aeliano (fragm. 25 Herch.). — Versus 240 a multis est laudatus: ab Aeschine bis cum sequentibus de falsa legat. 158 et Ctesiphont. 135; a scholiasta ad Homeri A 42 et Ω 611 in scholiis minoribus p. 66. Bekk. (= Cram. Anecd. Par. III 3, 29 = Matr. Anecd. gr. p. 391, 8; VI, 478 M), loco posteriore solutis numeris; a scholiasta ad Pindari Pyth. III 64, p. 332 B. et ab Eustathio

ad Iliad. p. 127, 1 (= 1059, 14); ab Orione περὶ δίκης καὶ δικαιοσύνης VI, 13 (ed. Stobaeus Meineckii p. 258). Omnes excepto uno Aeschine conspirant cum codicibus Hesiodeis; nam licet missa facere primo aspectu falsa quae apparent πολλάκις καὶ in uno scholii apographo apud Cramerum (sic etiam prima manus codicis D Hesiodei), et πολλάκι ξύμπασα casu omissa quae sequebatur vocula Aeschinis priore loco. Altero tamen Aeschinis loco quod legitur δή pro καὶ, non est, quod quidem videam, corruptela, sed varia lectio. Eiusdem versus in fine ἀπηύρα optime munitur codicibus (exceptis recentissimis, quorum ἐπαυρεῖ mitto), testimoniis omnibus, locis Homericis Α 334, 430, Θ 237, Ι 273 al. Quam formam immerito abiecit Sittelius (cf. etiam Sc. Herc. 428, et v. Theog. 423) nimis fisus argumentis Ahrensii (Kl. Schr. I, 20 sq., 544) et Sonnii (Kuhns Ztschr. XIII p. 434) iussitque ubique apud Hesiodum ἀπεῦρα scribi. Sed pluribus de hac re disserere non est huius loci. Versuum 241 et 242 textus vulgatus non concinit cum Aeschineo (l. l.), qui est:

ὅς κεν ἀλιτραίνῃ καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται. (II, 158)
[ὅς κεν ἀλιτραίνῃ καὶ ἀτάσθαλα μητιάαται. III, 135]
τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγα πῆμα δῶκε (vel ἔδωκε) Κρονίων.

Atque legit, si quid video, Aeschines μητιάαται, cuius loco exaratum est postea μηχανάαται in or. de falsa legat. habita a librario, qui diversitatis non inscius evolvit Hesiodum suum. Idem enim sine dubio factum est de v. 242, qui in uno atque eo optimo Ctesiphonteae orationis codice sic exstat, ut legitur in libris Hesiodeis vulgatis. Quo loco item ut textui vel propter metrum aperte corrupto mederetur, librarius Hesiodum inspexit. Sed neque δῶκεν μέγα πῆμα neque μέγ' ἐπήγαγε πῆμα legisse Aeschinem, verum μέγ' ἐπήλασε πῆμα mihi est persuasum eam ob rem, quod infra quoque congruit eius textus cum eo, qui Plutarcho erat praesto; qui affert μέγ' ἐπήλασε πῆμα de stoicor. repugn. p. 1040c (VI. 233 B.). Tres igitur insunt in duobus versibus lectiones variae. Ceterum de ἀλιτραίνῃ coniunctivo v. Goettlingium in apparatu critico ad v. et Nauckium Mél. gr.-rom. III 155. — De versu 243 consensus est inter Aeschinem, cuius quod pauci codices exhibent λοιμὸν ὁμοῦ καὶ

λιμόν, est error Byzantinorum more pronuntiandi perspicuus, Plutarchum, scholiastam Hom. o 407 (II 617 D.), *Π* 385 (schol. min. VI, 187 M.), Ps. Dracontem p. 63, 12 Herm. — De versibus 244 et 245 est locus Procli p. 178, 7, de quo iam supra verba fecimus p. 102. Ubi docet ille coniungendos esse v. 243 et 246 excussis duobus, quae intersint, additque: *οὕτω Πλούταρχος*. Quorum verborum duplex adest interpretatio. Nam aut licet addere *φησί*, aut ex eis, quae praecedunt (*δεῖ δὲ συνάπτειν κτλ.*): *συνάπτει*. Illud si fit, sequitur, ut Plutarchus legerit versus 244 et 245 — aliter nihil diceret — disertisque verbis pugnet cum aliis, quos iubeat coniungere potius 243 et 246; hoc si mente addimus, non necessario idem concluditur; nam, si simpliciter dicitur coniungere Plutarchus quosdam versus, non est necesse noverit alios. Quam ad litem diiudicandam adest Aeschines, apud quem et ipsum desunt versus, de quibus res est. Quod rursum potest factum esse duabus de causis: aut casu ille eos omisit, aut quod non novit. Sed utroque loco comparato iam non, opinor, est dubium, utra utriusque interpretatio sit praeferenda: neuter legebat versus usus exemplari alterius recensionis, a quo aberant. Quod cum sit stabilitum, vides quo iure supra eis locis, ubi recedebat Aeschinis textus a codicum Hesiodeorum textu, non corruptelas subesse recentioris aetatis suspicati simus, sed varias lectiones. — Idem cadit in v. 247, qui est apud Aeschinem:

ἢ νέας ἐν πόντῳ ἀποτίν(ν)υται εὐρύοπα Ζεύς,

in codicibus Hesiodeis cum legatur . . . *πόντῳ Κρονίδης ἀποτίνυνται* (C, *ὑποτίνυται* D) *αὐτῶν*. Nam textum codicum abiisse in Aeschineum propter versum 239, quam maxime nego; nulla intercedit inter eum versumque 247 similitudo.

Inde a v. 251 iterum licebit uti adiumento libri papyracei (A), cuius fragmenta in pago Faijûm inventa edidit qua solet diligentia Wesselius[1]) optimeque Rzachius[2]) contulit cum libris Hesiodeis. Atque recte ostendit vir doctissimus textum papyri esse eiusdem recensionis atque nostrorum librorum; sed de eius recensionis origine videtur errasse; qua de re infra disputabo.

---

1) Mittheil. aus der Samml. der Pap. Erzh. Rainer 1887, I p. 73—82.

2) Wiener Stud. X p. 261 sqq., symbolae Prag. sub finem.

Consentit igitur semper cum libris optimis Hesiodeis papyrus, ubi quam maxime recedunt, qui alii versus laudant; ubi vero non conspirant papyrus librique, loci sunt minoris momenti, quibus spatio permagno, quod interest, aperte textus commutatus est; nihil inest variae lectionis instar. Itaque non unumquemque huius libri versum tractabo, sed eos locos, quibus pugnabunt testes cum codicibus vel aliud quid intererit, apponam.

Versus 252 et 253 affert Clemens in Protrept. II p. 35 P (I 42, 7 Dd.); quem, cum non obiter commemoret Hesiodum, sed toto illo loco fusius cum eo disputet usus apostropha quae vocatur, eam ob rem non sine diligentia aliqua versus laudasse dixerim. A quo quantum differunt Sextus Empiricus (adv. mathem. IX, 86; p. 411 Bekk.) et Maximus Tyrius (or. XIV, 8; p. 55 Duebn.)! Illum iam novimus, ubi de v. 125 egimus (v. p. 180); neque hic, cui fides habeatur est dignior. Utrique libitum hoc loco est pro verbis tritioribus scribere rariora: Sexti *μερόπων* pro *θνητῶν* Maximique *πρόπολοι* pro *φύλακες* posita synonyma sunt, nihil aliud. Neque quidquam lucri est ex Eusebii praepar. evang. IV 17 p. 165c (I 196 Dd.): *καὶ οἱ τρισμύριοι φύλακες μερόπων ἀνθρώπων*; nam *καὶ οἱ τρισμύριοι* sunt verba ipsius Eusebii nec cum sequentibus coniungenda, ut versum efficiant, qui adhuc legitur in editionibus. Contra unus Clemens plus valet tribus Sexto Maximo Eusebio. Nam summi ponderis est, quod exhibet v. 253

δαίμονες ἀθάνατοι φύλακες μερόπων ἀνθρώπων.

Neque nos temere supra diximus errorem vel neglegentiam non subesse eius verbis; nam sua ipse confirmat Protrept. X p. 81 P (I 105, 27 Dd.): *τρὶς γὰρ μύριοί εἰσιν, ὡς ἀληθῶς, ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ δαίμονες οὐκ ἀθάνατοι οὐδὲ μὴν θνητοὶ οὐδὲ γὰρ αἰσθήσεως, ἵνα καὶ θανάτου μετειλήφασιν, λίθινοι δὲ κτἑ.* Iam cum *δαίμονες* varia lectio stabilita sit, vides qui factum sit, ut v. 254 sq. insererentur post v. 123, qui locus est de daemonibus. Sed redeo ad v. 252. Ubi ne Clemens quidem discrepat cum libris vulgatis Hesiodi vel testibus reliquis, cum ad unum omnes exhibeant *τρὶς γὰρ μύριοι κτλ.*; at unus liber atque is optimus papyrus A praebet *τρεις* (ex iotacismo) *γὰρ χίλιοι*. Permultus fuit in hac lectione laudanda Rzachius

(Wiener Studien X p. 270 sq.), immerito, si quid video. Comparavit versum Theogoniae 364

τρὶς γὰρ χίλιαί εἰσι τανύσφυροι Ὠκεανῖναι,

cuius χίλιαι commutatum videmus in μύριαι apud scholiastam Pind. O. V 1; simile aliquid esse factum de Operum loco. Neque inveniri vocis μύριοι vim „decem milia" apud Homerum Hesiodumque, quae hoc loco necessario postularetur, sed semper numerum ingentem significari. Haec vero habeo, quae contra dicam. Potest vero, quae Theogoniae versui accidit, idem accidisse Operum; at cum consentiant omnes libri Hesiodei cum testibus, in his vel Clemente, repugnetque unus A, contrarium factum esse mihi est verisimile: quod rectum se habebat χίλιαι in Theogonia, translatum est in Opera, quod rariora semper videntur esse exquisitiora. Nec propter τρὶς, quod praecedit, necessario decem milia significat μύριοι. Quae sane sententia fuit Ps. Heracliti in epistula ad Hermodorum (apud Boissonadium ad Eunapium p. 424 sq.), qui τρὶς γὰρ μύριοι intellexit τρεῖς μυριάδας; sed Heraclitos ego non curo. Nam τρὶς hoc loco non est genuinum numerale, sed ἐπιῤῥηματικῶς adhibitum, ut in vocabulo τρίλλιστοι Homerico (Θ 488), τρίσμακαρ ter felix, quod vocabulum rectius τρὶς μάκαρ scribendum esse manifesto demonstrat versus Homericus ε 306 τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις; ubi semper ter idem valet atque Latinum per-. Neque nova est et inaudita mea sententia; nam vide, quae nos doceat grammaticus apud Eustathium ad Odyss. p. 1542, 46: ἰστέον δὲ ὅτι αἱ συνθέσεις τοῦ τρὶς ἐπιῤῥήματος ποτὲ μὲν ὡς καὶ ἀλλαχοῦ ἐδηλώθη αὐτόχρημα τριάδα δηλοῦσιν . . . ., ποτὲ δὲ πλῆθος σημαίνουσιν, ὡς ἐν τῷ τρὶς γὰρ μύριοί εἰσι παρ' Ἡσιόδῳ.

Versus 256 posterius hemistichium legitur in schol. Arati Phaen. 1 Bekk. ad fidem codicum; contra in parte priore Plutarchus (ad princ. inerud. p. 781 b V p. 15 Bern.) contra libros ACD Mess. pro ἡ δέ τε exhibet ἡ δέ γε. Qui potest esse calami lapsus; tamen alteram recensionem hoc loco discrepasse cum vulgata patet vel loco Stobaei IX p. 100, qui pro librorum ACD Mess. κυδρή versus sequentis, quod abiit in κυδνή in paucis recentioribus libris (idem legitur in Procli lemmate), exhibet κεδνή. Quod etiam in Plutarchi libro fuisse effici

videtur his eius verbis (l. l.): ἡ δέ γε παρθενός ἐστι καθ' Ἡσίοδον, ἀδιάφθορος, αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης καὶ ὠφελείας σύνοικος κτέ. (cf. Suidam I[a] 1364 B. s. v. Δίκης ex Aeliani fragmento 25 Herch.). Et ne tibi κεδνή pro κυδρή minus apte postea demum positum videatur, vide Op. 699, α 428, τ 346, imprimis hymn. in Ven. 44; contra κυδρή aut κυδνή vocabulo, quod in Homericis carminibus perraro occurrit et bis apud Hesiodum excepto hoc versu vulgatae recensionis, utuntur poetae veteres saepissime ad ornandam Iunonem (theog. 328, Σ 184, hymn. Hom. XII 4), Latonam Cererem Minervam (conferas λ 580, hymn. in Cer. 179, hymn. Hom. XXVIII 1), nunquam de Iustitia. — Quae sequuntur, transilire fere licet, cum Stobaeus, qui affert l. l. versus usque ad 262, concinat cum libris; nisi haec sunt annotanda: 258 ἄν τίς μιν C D Stob. ἄν μίν τις A; v. 260 βασιλήων D Stob., quod quia per synizesim legendum est, erant, qui praeoptarent βασιλέων libri C (cf. Rzachium „der Dialekt etc.“ p. 406; Symbol. Pragens. p. 177); in v. 262 Stobaeus, etiamsi multi eius libri exhibent παρκλίνουσι, certe legit παρκλίνωσι, quam formam cum apocopa unus liber A optime servavit (παρακλίνωσι C D παρκλίνουσι alii). — In versu 265 quod Apostolius II 84 d (= Arsenii III 75, Paroem. gr.) particulam τὲ omisit, casu hoc factum esse demonstrat Eustathius ad Iliad. p. 522, 14, quippe qui τὸ οἷ τ' αὐτῷ initium esse gnomici versus doceat (ut Eust. D, οἷ θ' αὐτῷ C). Prorsus vero alius est textus Plutarchi, qui habet de sera num. vind. p. 554 a (III 432 B.):

ὅς δ' ἄλλῳ κακὰ τεύχει, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Quem versum imitati sunt Lucilius epigr. 51, 5 et anon. Anthol. Pal. XI. 183, et laudavit Aelianus Var. histor. VIII 9 p. 91 Herch.:

τεύχων ὡς ἑτέρῳ τις ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει

sine nomine poetae ut notissimum (τὸ ἔπος ἐκεῖνο). Haec ipsa est causa, quod Plutarcho ceteroqui testi certiori maiorem fidem habeam; cuius versus poetae veterrimi etiam magis proprius videtur esse. Hoc si tenebis, nihil iam te morabitur testimonium Aristotelis Rhetor. III 9 p. 1409[b] 28

οἷ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων
[ἡ δὲ μακρὰ ἀναβολὴ τῷ ποιήσαντι κακίστη],

praesertim cum ipse ille disertis verbis concedat versus a se traditos esse mutuatos a Democrito; quae verba Aristotelis non solum valent de v. 266, sed etiam de 265. Nec miraberis, quod de ista summa discrepantia v. 265 nihil invenitur apud Proclum; athetesis Plutarchea gravissima versuum sequentium 267—273 totum secum abduxit Proclum. Ceterum versus 266 ita, ut vulgo fertur, exstat apud Plutarchum de aud. poet. p. 36a (I 87 B.) apudque Gellium N. A. IV 5, 7 (I 256, 6 Hertz.), qui originem Latini illius 'malum consilium consultori pessimum' ducit ab Hesiodo, uterque versus 265 et 266 apud Tzetzam in Chil. VIII 35 Kiessl. (cf. eius scholia); versus 267 legitur sine nomine poetae apud Macrobium Saturn. I 23, 9 (p. 126 Eyssenhardt.); versus 270—272 intexuit Chiliadibus (IX 362 Kiessl.) Tzetzes. Idem insunt in Stobaei capite *περὶ κακίας* II 11 (p. 180 Hense), qui pugnat cum vulgata et Tzetza, cum, optimos si sequimur libros, exhibeat in versu 272 pro *δίκην ἀδικώτερος* potius: *δίκην ἀτιμώτερος*. Quod sane non potest stare; ansam tamen praebebat coniecturae Buecheleri, ex qua Stobaeum legisse: *τιμὴν ἀδικώτερος* mihi quoque persuasum est.

Versum 276 sqq. laudavit Clemens Stromat. I p. 427 P (II 142, 19 Dind.) disputans de notissimo illo Pindarico *νόμος βασιλεὺς πάντων* confirmavitque versus 276 *διέταξε* in C traditum (in D corruptum in *ἔταξε*); nec non conspirant cum libris Hesiodeis Stobaeus in Eclogis phys. et ethic. I 3, 1 (p. 52 Wachsm.) et Orion in capite *περὶ δίκης καὶ δικαιοσύνης* VI 10, 11 (IV p. 258 Mein.). — Sequentem versum 277 idem citant Plutarchusque de solert. anim. p. 964b VI 25 B. Quem locum exscripsit Porphyrius de abst. I 5 (p. 88 N.); idem eosdem versus memoria tenens affert quaest. Hom. ad Odyss. p. 87 (ed. Schrader. = Cramer. Anecd. Par. III 459, 6); Sextus denique Empiricus adv. mathem. II 32 p. 681 Bekk. in laudando sine accuratione versu *μὲν* omisit. Libri Hesiodei hic vacillant ipsi: in D legitur *οἰωνοῖς πετεινοῖς*, quod versus non recipit; cum codicis C *οἰωνοῖς πετεηνοῖς*, faciunt testes omnes, nisi quod Stobaei libri sunt, qui *πετεεινοῖς* exhibeant, Porphyriusque altero loco scribit *οἰωνοῖσι πετεινοῖς*. Cui quantum fidei habendum sit, vides ex eo, quod ibidem in versu 278 scribit *ἐν αὐτοῖς* vel *ἐπ' αὐτοῖς* pro recto libri de abstinentia *μετ' αὐτῶν*, inque versu 279

ἀνθρώποισι δὲ δέδωκε, quod nihil est. Una potest videri esse varia lectio Clementis γάρ pro μέν. Sed particula μέν ut careamus, non potest fieri; et γάρ irrepsisse e versu praecedente iure affirmare mihi videor. — Adest vero lectio varia in v. 278. Non dico illud Clementis ἐσθέμεν, quod non habeo loco variae lectionis, sed corruptelae postea demum ortae ex compendio ipsius vocis ἔσθειν non recte intellecto; cuius rei statim habebimus apud eundem alterum vestigium. Immerito praetulit ἐσθέμεν illi optime tradito et ab omnibus, praeter morem etiam a Sexto, confirmato ἔσθειν Goettlingius in apparatu crit. ad v. Iam Bekkerus (hom. Blätt. I 139 sqq.) recte observavit in primo pede esse formas infinitivi in —ειν praeferendas. Contra Nauckium (Mél. gr.-rom. II 417 sq.), qui dactylicas formas mavult legi neque, ut hoc fiat, a coniecturis abstinet, facio cum Ludwichio (Arist. hom. Texkr. II 321 sqq., 326 sqq.; v. etiam II, 236, 255). Sed in eodem versu quod exhibet Clemens adstipulantibus Plutarcho cum Porphyrio (loco priore) et Aeliano (de nat. anim. VI 50 p. 162 Herch.) pro ἐν αὐτοῖς Hesiodeorum librorum μετ' αὐτοῖς (αὐτῶν apud Clementem compendiaria scriptura falso exstitit), certa est varia lectio. Idem non dubito restituere etiam Stobaeo, cuius libri multum variant ἐν, ἐπ', μετ' (unus ni fallor) exhibentes. Orion vero, quem alibi semper fere vides librorum Hesiodeorum textum exhibentem, hoc loco μετ' αὐτοῖς habet et ipse. Quae aut potest haberi coniectura eius ipsius; aut coniecerit quis neque id inepte etiam in exemplaribus nostrae recensionis hanc lectionem fuisse adnotatam in margine vel supra versum. Aliorum enim curae impensae apud eum aliis quoque horum versuum locis inveniuntur. Velut cum recentioribus codicibus Hesiodeis (miraris certe, in eadem sententia quod invenis etiam librarium codicis C) pro optimo ἀγορεῦσαι habet ἀγορεύειν, „correctum" scilicet quia apud Atticos aoristus huius verbi non erat in usu (sed vide Θ 29, Σ 142 al.); et scribit γίνεται et γινώσκων illa videlicet ductus opinione, quam exposuit disertis verbis Eustathius ad Iliad. p. 1064, 2[1]). — In versu 279 laudando consentiunt cum libris Hesiodeis Plutarchus, Clemens, Stobaeus, Orion (cuius in libris γίνεται

1) Vide contrariam sententiam La Rochii Homer. Textkrit. im Altert. p. 219 et Kayseri Philol. XVIII p. 657 sq.

pro δ' ἔδωκε est error perspicuus). — Nec non Orion in v. 283 cum A vel potius cum C (accentus errorem neglego) legit ἀασθῇ; ἀασθῶς libri D est corruptum, neque licere cum Kinkelio lectionis varietatem inde expiscari optime docuit Rzachius Wien. Stud. X p. 268, Symb. Prag. p. 178. — Versus 285 sqq. in Stobaei Florilegio XXVII, 14 (cf. ibidem Hensium) sunt interpolati; itaque non curo testimonium; neque quidquam novi accedit ex Orionis capite περὶ εὐσεβείας III 4 (p. 253 Mein.), cum prorsus idem sit textus atque in A C D Mess. Quod in scholiis Platonicis ad Rempubl. p. 862 d (p. 398 Bekk.) versus 285 est laudatus non ut Hesiodeus, sed ἐξ Ἡροδότου (sc. VI 86) ἀπὸ τοῦ δοθέντος χρησμοῦ Γλαύκῳ τῷ Λάκωνι, eodemque modo etiam ab Apostolio II 84 d (= Arsenii III 75. Paroem. gr.), nequaquam est inde colligendum in quadam recensione non fuisse hunc versum inter Hesiodeos; Choeroboscus certe versum legit. Scholii eius vestigia sunt apud Zonaram p. 901 s. v. εὐόρκου et Suidam I p. 827 B. s. v. εὐόρκου.

Versum 287 sqq. nemini olim non notorum plurimi mentionem fecere; e quibus eos quaeremus, quos aliqua est probabilitas inspecto libro versus laudavisse. Hoc imprimis cadit in Xenophontem, qui in Memorab. II 1 (III p. 31 edit. Sauppii) sex versus laudavit; quem locum qui exscripsit Stobaeus in capite περὶ ἀρετῆς I 205 (p. 163 Hense), optime munivit lectiones in libris Xenophonteis traditas. Porro Plutarchus ubique diligentissimus Hesiodei textus auctor laudavit v. 287 et 289 versumque 288 circumiit de aud. poet. p. 24 f I 59 B, ibid. p. 24 d I 58 B., de prof. in virt. p. 77 d I 187 B. Neque minoris facio Platonem Hesiodi auctorem, qui versus 287—289 laudavit in Republ. II p. 364 c, versus 289—292 in Legibus IV p. 718 e; omnes in Protagora p. 340 d adumbravit. Clemens Alexandrinus, cuius versuum 290—292 testimonium Strom. IV p. 565 P (II 317, 15 Dind.) non erit neglegendum, in laudando versu 286 (Stromat. V p. 654 P; III, 14, 10 Dind.) nimium memoriae confisus solitam diligentiam deposuit omisso etiam nom inepoetae; hunc igitur locum praetereo. Maximus Tyrius, qui ut solet, describit versus Hesiodeos suisque verbis immiscuit in diss. XXI 7 ed. Dübner., conspirat ubique cum libris Hesiodeis, dummodo prima verba, quae iniuria ab editoribus in

versus rediguntur, eius propria iudicemus; quod ut faciamus, monemur ipso contextu eius sententiarum, qui manifesto *γάρ* postulat. Minoris sunt testimonia Eustathii p. 1868, 2 et ad Iliad. p. 179, 10, qui loco priore versum attulit 287 integrum propter significationem vocis *κακότητα*, altero nonnulla verba ad explicandum usum vocabuli *ἰλαδόν*; simili modo scholiasta Euripidis ad Hippol. 379 Schw. et Medeam 296 Schw., qui priore loco versum 287 et 289 (abest tamen hic a nonnullis eius libris), altero v. 289 attulit. Uterque conspirat cum libris Hesiodeis, in quibus etiam A numera. Non ita illi, quos initio dixi. Quorum textus est:

287 *τὴν μὲν γὰρ κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι*

(Xen., Plut.; Platonis *τὴν μὲν κακότητα* noli redigere in versum, cuius posterius tantum hemistichium ille laudat; priora sunt Platonis ipsius verba), et

288 *ῥηιδίως· λείη (λεῖη) μὲν ὁδός, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει*

(Xen., Plat., Plut. loco altero). Ceterum scholiastam Platonicum ad Gorgiam p. 459 c prioris variae lectionis non advoco testem, cum omisso illo necessario *μέν* ille moveat suspicionem ab eo librum Hesiodeum non esse inspectum. — Versus 289 apud eosdem laudatus non differt a versu librorum; neque discrepantia inest apud scholiastam Pind. O. VI 14 p. 131 Boekh. et O. IX 161 p. 230 B.; Agathias eum primum versum fecit epigrammatis in domum sitam in culmine Byzantii conscripti Anthol. Palat. IX 653 omisitque eam ob rem particulam *δ'*, cui in initio poematii nulla est sedes; neglegenter Contoleon in Iliadis argumento apud Matrangam Anecd. gr. p. 503, 28 post *τῆς* particulam *γάρ* inseruit, qua versum corrupit; rursus non distant Hermogenes in progymnasmatis (Walzii Rhet. I p. 23, 7) scholiastaque ad Lucani IX 402 (p. 300, 20 ed. Usener.) neque auctor Florilegii Monacensis apud Meineckium in Stobeianis IV p. 275 et Orion in Antholognomici capite *περὶ ἀρετῆς* VII 12 p. 260 Mein., quorum uterque sequentes tres addidit. — In versu 290 lectio optimorum codicum *ἐς αὐτήν*[1]) sancitur

---

1) A exhibebat ЄN (i. e. *ἐπ'* secundum Wesselium in editione p. 75), quod eadem manus correxit in ЄC; cf. Rzachium Wien. Stud. X p. 268. Cum Sittelio (in apparatu critico ad v.) potest de forma Boeotica *ἐν* cogi-

libris Xenophontis, Platonis, Clementis, florilegii Monacensis; cum illa, quam lemma exhibet Moschopuli ἐπ' αὐτήν, nemo facit nisi Orion. Nil valet versus corruptissimus scholiastae in Aphthonium apud Schaeferum ad Gregor. Corinth. p. 105 adnot. μακρὸς δὲ ὁ ὄρθιος οἶμος ἐς αὐτήν. Neque numero in testimoniis Luciani paraphrases in Parasito 14 (III 34 ed. Jacobitz.) vel in Hermotimo 2 (I 335 J.) et 25 (I 350 J.), ubi ille Hesiodea suum in usum convertit, Ioannis Eugenicique in laude Trapez. 6 p. 371 ed. Tafel. verba. — In versu 291 pugnat cum omnium Hesiodei librorum (A C D Mess.) ἵκηται Platonis[1]) et Xenophontis ἵκηαι. Quibuscum alibi cum semper Clemens consentiat, hoc quoque loco credo eum ἵκηαι legisse, etiamsi unicus eius liber (atque is minime diligenter rescriptus) ἵκηται praebet. Quod quam facile potuerit nasci ex ἵκηαι, demonstrat Stobaeus, cuius in apographo loci Xenophontis nunc fluctuant libri inter ἵκηται et ἵκηαι. — Versus 292 firmant traditam in libris lectionem Xenophon, cuius ad fidem scripti codices Stobaeiani nihilominus et δὴ ἔπειτα et δέ ἔπειτα exhibent, Plato, Orion, Clemens, apud quem ut in D² Hesiodeo exaratum est δὴ 'πειτα, Ioannes Eugenicus, auctor florilegii Monacensis, scholiasta ad Aphthonium, quorum omnium hic finiuntur testimonia.

Versus 293 sqq. tam noti erant et pervagati apud omnes, ut nemo fere auctor eos non spectaret et permulti etiam eos integros laudarent. Primus eis usque ad v. 298 Aristoteles in Ethic. Nicom. I 2 p. 1095ᵇ, 10, ut videtur egregia sua memoria fisus, ad sententiam suam confirmandam usus est. Porro afferunt eosdem Aristides, ex diligentissimis in laudando Hesiodo auctor, in oratione contra Plat. II 31 Dd. et Clemens, par ille fide Aristidi, in Paedag. III 8 p. 279 P (I 361, 1 Dd.); nec, ubi optimi veniunt in medium, deest Stobaeus (in capite περὶ ἀφροσύνης V 25; p. 234 H.). His adde Zenonem Stoicum, cuius testimonium servatum est in Plutarchei commentarii fragmentis[2])

---

tari, nisi librarius, qui illud ἐν ipse correxit, hunc esse calami lapsum clamaret.

1) At Platonis in Protagora testimonium nihil valere supra demonstravimus.

2) Vide Procli scholia p. 200, 10 (cf. supra p. 64) et Plutarchi reliquias (fr. 21 B; cf. supra p. 103).

et apud Diogenem Laertium VII 1, 21 Themistiumque in oratione, quae vocatur *πενταετηρικός*, p. 129 Dind.; ille duos Hesiodeos versus, qui nunc sunt 293 et 295, iocose permutavit. Dubitanter denique advoco gnomologum incerti temporis incertiorisque fidei apud Boissonadium Anecd. gr. I p. 115. Eius enim testimonium in nonnullis conspirat cum Aristotelis codicibus deterioribus atque adeo in re gravissima stat cum eis, quos nominavi; sed in aliis ab ei valde dissentit. Quod sic expediverim, ut dicam ab eo tres versus non ex Hesiodi libro sed ex Aristotelis esse exscriptos; sed alii eiusdem paginae versus Hesiodei, quibus lemma est *τοῦ αὐτοῦ*, manifesto excerptorem ostendunt. Iam qui sequuntur, stant ex altera parte. Atque laudantur: in schol. Soph. Ant. 720 p. 252 Pap. v. 293; in schol. min. Hom. B 360 (III 122 Dd., V 86 M.) v. 293; ib. N 733 (IV 52 Dd., VI 51 M.) v. 295; ib. O 203 (IV 84 Dd., VI 118 M.) v. 295 (quo loco prioris ad N 733 loci *ἐσθλὸς γὰρ* fortuitam corruptelam esse probatur); Orionis in capite *περὶ τοῦ λόγου καὶ φρονήσεως* p. 252 Mein. v. 293—297; ab Ammonio s. v. *οὗτος* p. 106 Valck. v. 293; ab Eustathio p. 1409, 28 versus 293 prius hemistichium; p. 1013, 9 versus 295 (ibidem et p. 238, 13 ceteri versus adumbrantur); ab Apostolio XIII 51 i (= Arsenii XLI 89 Paroem. gr.) v. 293—297. Permultos alios, qui non laudaverint verba Hesiodea, praetermitto. — Hi omnes in fine versus 293 confirmant *αὐτῷ* vel *αὐτῷ νοήσει* librorum praeter unum Orionem, qui cum papyro A exhibet *αὐτὸς νοήσῃ*; de quo vide Rzachium, Dialekt p. 427, Wiener Stud. X p. 271. Sed ei[1]), quos priores nominavi, ad unum omnes in initio versus legebant: *κεῖνος μὲν πανάριστος κτλ.* Proclus vero, qui quin idem *κεῖνος* legerit in commentario Plutarcheo et Zenonis testimonio dubium non est testibus Diogene et Themistio, corruptelam hanc esse ratus *οὗτος* emendare sibi visus est. — Summum deinde est, quod idem Aristoteles[2]),

---

1) Apud unum Aristotelem forte excidit *οὗτος* initio versus et variant eius libri inter *αὐτὸς* et *αὐτῷ*. Sed hoc quoque cum casu excidisset, dubito an lacuna a librariis suppleta sit; quod ex sequentibus videtur effici.

2) Quocum faciunt eius interpretes, velut Aspasius.

Aristides, Plutarchus[1]), Stobaeus, Clemens non legerunt versum 294, quem qui alterius factionis esse dixi, agnoscunt. Nec non ignoravere versum Livius (XXII 29, 8), Cicero (pro Cluent. XXXI), Basilius Magnus (de aud. poetis prof. p. 565, 1 Migne), Gregor. Naz. (epist. XI Migne). Clemens cum versum ignoraret, imperfectam comparationem reliquit. Et vide Aristidis cavillationes, quibus eam sententiam studet expiscari e versu 293, quae nunc legitur in v. 294: (II p. 32, 3—14). Quem num credis illud suum: *οὐκοῦν ὁ μὲν αὐτὸς πάντα νοήσας ἐστὶν ὁ εὖ εἰπών·* tot verbis comprobaturum fuisse, si legisset versus 294 vocem *φρασσάμενον*? — De v. 295 cum nihil habeam, quod dicam, varia occurrit lectio in v. 296. Cuius in initio exhibet ὅς *δέ κε* Aristoteles, ὅς *δέ γε* Aristides, ὅς *δέ τε* Clemens; sed fluctuant eorum codices pariter ac Stobaei, cuius in tribus eaedem lectiones, quas dixi, adsunt, in quarto ὅς *δὲ καί*; nec non vacillant libri Hesiodei. Itaque sitne varia lectio statuenda, iam non quaeritur, sed quae sit optima eligenda. Medio in versu Aristoteles Aristides Stobaeus Clemens legebant *αὐτός*, quod etiam vulgatae dem varia lectione non admissa; nam cum *αὐτῷ* codicis C, Apostolii, lemmatis scholii pugnat *αὐτός* libri D et Orionis. Praeterea legit *αὐτός* auctor Etym. Florentini p. 58, qui propter vocem *ἀχρήιος* hunc et sequentem versum laudavit; quamquam suspicio est eum sua excerpsisse ex scholiis Choerobosci. Ceterum cf. de *αὐτός* Rzachium, Dialekt p. 427. — De v. 297 consensus est inter omnes.

Ad versum 299 adest testimonium Plutarchi (de Stoic. repugn. p. 1047 f, VI p. 254 B), qui exscripsit priorem partem, et Cornuti, qui hunc et sequentem versum commemorat theol. Gr. c. 28 (p. 56, 4 Lang). Neuter discedit a textu librorum. — Sed in v. 300 adnotandum est Cornuti *ἐυπλόκαμος* pro *ἐυστέφανος*. Atque nisi hoc uno loco ab illo laudarentur verba Hesiodea, nullus ego dubitarem hanc praeferre lectionem atque inter varias redigere; nam est exquisitissimum hoc Cereris epi-

---

1) Quem hic unum advoco; nam Diogenes et Themistius, si legissent v. 294, tamen potuerunt sine ulla adnotatione laudare Zenonis testimonium praetermittentis haec verba; non potuit Plutarchus.

theton (cf. *ε* 125), illud tritissimum[1]). Sed potius rem in medio relinquam, cum nequeat probari a Cornuto re vera haec inspecto Hesiodeo exemplari esse laudata. — Versu 302 illustratur in scholiis Homericis minoribus ad *Λ* 736 (V 424 M) *συμφέρεσθαι* verbum, ubi particula *τοὶ* casu est omissa. In Platonicis scholiis ad Leges X p. 901 a, quo loco Plato homines inertes cum *κηφῆσι* comparat poetae verbis suum ad usum accommodatis ita, ut de eius lectionibus nihil dici possit[2]), hanc sententiam explicavit scholiasta usus v. 302 et sequentibus quattuor. Ab utroque vero teste nec non codicibus Hesiodeis vetitus studuit Sittelius in apparatu critico ad v. pro tradito *σύμφορος* comprobare *συμφόρη* nixus Choerobosci ad v. scholio p. 203, 26: *λιμός θηλυκῶς λέγεται παρὰ τοῖς Δωριεῦσι*, cll. Etym. magno p. 566, 10 (non 513, 10) et Hymn. in Cerer. 311. Qua de re iudicium ferre non est meum hoc loco; id obiter annoto ad Sittelium refutandum, apud Choeroboscum verba fieri de Doricis, non de Hesiodeo textu. Et aliud quoque animadvertendum est. *σύμφοροι* in Homericis carminibus non reperitur, ter in Hesiodeis: hoc loco, in versu 783 (C: *ἀσύμφορος*, quod versus non recipit, D: *οὐ σύμφορος*; cf. Rzach. Symb. Prag p. 182), Theogonia 573 (*οὐ σύμφοροι*). Iam primo credo et novissimo loco munitur medius; huic si addas apud Hesiodum *ξύν* pro *σύν* non inveniri nisi in *ξύμπασα* et *ξυνιέναι*, stat lectio codicis D in versu 783, neque coniectando est opus. Inde autem revertimur ad versum, quem tractamus. Nam probatur v. 783 *σύμφορος* adiectivi apud Hesiodum genus masculinum et femininum eodem cadere modo. Itaque *σύμφορος* in hoc versu scribendum, quidquid de genere vocabuli *λιμός* cogitas.

Scholiasta Platonico (l. l.) libros Hesiodeos iuvante Stobaeus in v. 303, quem cum sequentibus duobus laudat in capite *περὶ ἀργίας* XXX 5 (p. 664 H) tradit variam lectionem *ὅστις*. Contra in versu 304 in vicem recedere videtur Platonicus scholiasta a vulgata lectione, qui exhibet *ὀργήν*. Sed

---

1) Vide passim in hymno ad Cererem.

2) Eo minus de Eusebio praep. evang. XII 52 p. 631 a (II 154 Dind.), qui Platonis verba exscripsit.

firmant ὁρμήν scholiasta ad Theocritum I 146 p. 87 Ahr. scholiastaque ad Arist. Vesp. 1153 Dind. pariter atque libri. Nam quod in C invenitur primum scriptum ὀργήν sed ab eadem manu correctum (Rzach., symb. Prag. p. 178) in ὁρμήν, res ipsa docet calami errorem. Idem igitur ac librario codicis C accidit librario scholiorum Platonicorum. Neque quidquid valet in re diiudicanda, quod ὀργήν melior est lectio (v. Sittelium in appar. crit. ad v.). Sed eo est acquiescendum, cum ὁρμήν in vulgata retinere cogamur, quod apud Homerum non invenitur vocabulum ὀργή (praeter hymn. in Cerer. 205), ὁρμή autem saepissime neque raro, quantum scio, de bestiis dictum (cf. Λ 119, hymn. in Cerer. 382). Longe alia autem est res, ubi desivimus versari in recensione vulgata: Stobaeus quod legebat ἴκελος ὀργήν, hanc ego non dubito variam dicere lectionem. Eandem conservavit ex Alexandrinorum veterrimis scholiis etiam Choeroboscus in scholio ad v. supra p. 86 restituto; hoc igitur quoque loco quae necessitas intercedat inter textum Alexandrinorum et priscum fontem Stobaeianum, elucet. — Ceterum quo iure lectionem alterius recensionis denegaverimus scholiastae Platonico, patet e versu 305. De quo et sequente convenit illi et scholiastae Aristophaneo ad verbum cum libris Hesiodeis, cum Stobaeus legerit κάματον νήποινον ἔδουσιν. Sane nobis, hoc si legimus, venit in mentem Homerici illius versus α 160, sed ob id ipsum dubito maxime an sit laudanda lectio; et varia est sine dubio iudicanda. Quam statim sequitur altera; nam in versu sequenti, quem non laudavit, Stobaeus pro ἔδοντες sine dubio τρύχοντες legit aut versum non cognovit.

7.

Gnomologia priore (vv. 307—382) quam Plutarchum secuti nominavimus, continentur proverbia et sententiae variae antiquissimis iam temporibus in corpus Hesiodeum redactae propter χαρακτῆρα Hesiodeum, qui videbatur inesse; neque vero desunt in reliquis Hesiodeis similes, quas genuinas dixeris. Omnium autem earum Boeotiam patriam fuisse vel inde est veri simile, quod Hesiodus eorum tutelam suscipere iam anti-

quitus iussus est. Sed esse etiam ex eis vidimus supra p. 9, quae aliis in libris variorumque sub nomine circumferantur.

In versum 308, quem cum sequentibus quattuor laudat Stobaeus in capite περὶ φιλοπονίας XXIX 3 (p. 627 H.), confirmat ille ἔργων δ' (D om. δ'). — In v. 309 Stobaeus legit ἐργαζόμενος ... φίλτερος; idem exstat in D; sed in codice C est ἐργαζόμενοι ... φίλτεροι (v. Rzach., symb. Prag. p. 178). Quod sic expediverim, ut censeam fuisse in archetypo omnium librorum Hesiodeorum

... ἐργαζόμενοι^ς .... φίλτεροι^ς,

emendationem autem factam propter versum 310, qui certe ibi aderat vel supra v. 311 scriptus vel in margine; nam aliter non intellegitur, cur in D sit omissus, in C relegatus ad marginem, receptus ab aliis in textum. Inde vero librarius peritior codicis C primarios exscripsit numeros plurales, qui aliquomodo iam poterant dignosci, tum 'correxit' singulares, quos alii exhibent; in quibus vel Stobaeus est, qui v. 310 ignorat. — Non differt a vulgata versus 311 apud Stobaeum, optimum si sequimur eius librum (duo alii male ἔργων) vel apud Xenophontem (Memorab I 2; III p. 14 Saupp.). Invenitur etiam in illa gnomologia Parisina, cuius mentionem fecimus ad v. 293, apud Boissonad. Anecd. gr. I p. 115, 4; quo loco, ut in quibusdam codicibus Hesiodeis, particula δ' omissa est; quam abicere vetamur metro. Denique Eustathius laudavit huius versus prius hemistichium ad Iliad. p. 250, 45 et ad Odyss. p. 1818, 30, posterius hemistichium auctor Etym. Florentini ad usum vocis ἀεργεία illustrandum p. 13; qui incertum est num debeat sua scholiis Choerobosci. Contra Platonem (Charm. p. 163 b) Plutarchumque (v. Sol. 2) non advoco, quia verba ipsa poetae non retulerunt. — Neque sum multus de versu 312 et 313; nam consentiunt inter se et cum libris testes: Stobaeus, Plutarchus (de aud. poetis p. 24 e; I 59 B), scholiasta ad Callimachi similem versum Hymn. I 95 ed. Schneid., Eustathius ad Odyss. p. 1690, 44, et de emend. vita mon. p. 230 ed. Tafel., scholiasta Homericus ad λ 360 (II p. 510 Dind.). Denique in illo codice Harleiano (apud Cramerum Anecd. Par. III 473, 15), quem commemoravimus ad v. 277, neglegentia

librarii pro κῦδος ab omnibus firmatum irrepsit κῆδος calami errore et iotacismo natum.

Versus 317—320 laudavit Stobaeus in capite περὶ φιλίας XXIX 4 (p. 627 H.), unum 318 in capite περὶ αἰδοῦς XXXI 4 (p. 670 H.), inde exscriptus est postea mantissa proverbiorum III 45 in Paroem. gr. Leutschii; versum 320 in capite περὶ ἀδικίας X 10 p. 410 H. (ubi optimorum librorum maior pars πολλῶν, quod versus non admittit, minor pars rectius πολλὸν). Versus 317 et 318 vidimus supra p. 103, 109 (cf. schol. ρ 347) Plutarchum quam maxime errantem duxisse ex Homeri carminibus (ρ 347, Ω 45) esse translatos; idem sibi constans de vit. pud. p. 529 a III 370 B. versum 317 ut Homericum laudat. Eundem versum rursus vindicat Hesiodo Suidas I[b] 19 αἰδώς B., quo loco prima verba sunt Artemidori (I 47). Stobaeus vel ordinem versuum, qui est in libris Hesiodeis ACD Mess. traditus, confirmat, qui displicuit Peppmüllero Philol. XXXVIII p. 317 et Rzachio. Sed de eis, qui iam emendandis poetae versibus operam navarunt, non est nostrum hoc loco disputare. — De versu 319 est concentio inter Stobaeum et Hesiodeos libros. Praeterea versum indagavimus in gnomologia Parisina apud Boissonad. Anecd. gr. I p. 115, 16 atque ibi cum librarii mendis permultis: τοί est omissum, ἀνολβίην et ὄλβον exaratum. Neque confisus sis testimonio auctoris Epimerismorum Homericorum apud Cramer. An. Ox. I 118, 3, qui ita pessum dedit posterius hemistichium versus 320, ut paene cognosci non possit: θεόσδοτος πολλῶν ἀμείνων. — Versus 325 ab auctore Epimerismorum Homericorum apud Cramer. Anecd. Oxon. I 264, 32 et Pindarico scholiasta ad Isthm. III 81 p. 417 Ab. laudatur ad explicandum vocabulum μαυροῦσι, de qua forma etiam Choeroboscum in scholiis fuse disputantem supra p. 87 vidimus. Herodiano restituit suo iure Lenzius haec (Her. techn. rel. I p. 180, 20); sed semper id tenendum est, Cheroboscum et ceteros auctores, apud quos talia inveniuntur, Herodiani sententias tradere, non verba ipsa nisi perraro. Itaque non licet testimonia inde petere ad lectiones codicum firmandas aut refellendas, nisi ubi diserte de formis disputatur, ut res sit perspicua. Accedit alterum, quod saepenumero in exscribendis auctoribus non ea est diligentia adhi-

bita, quae par est. — Non occurrit varia lectio in versu 336 laudato apud Xenophontem in Memorab. I 3 (III p. 16 Saupp.), in versu 342 apud Plutarchum (de vid. pud. p. 530 d; III 373 B) scholiastamque Homericum ad O 87 (VI 108 M), in v. 343 apud Athenaeum V 3 p. 186 f edit. Kaib. Neque Stephani Byzantii s. v. *κώμη* p. 401 Mein. *γένοιτο* pro *γένηται* in v. 344 audeo in lectionibus variis numerare, cum hoc uno loco integrum Hesiodi laudaverit versum ille neque quanta fuerit eius diligentia sciamus. De *πῆμ' ἐγχώριον*, quod legitur in Etym. Florent. p. 243 pro *χρῆμ' ἐγκώμιον*, res incertior est, quam ut de ea iudicium ferre ausim. Certe debetur scholion Choerobosco. — Versus 345 exstat apud recentiorem quendam grammaticum in epistula ad Alexium Comnenum apud Cramerum Anecd. Oxon. III 195, 17 apudque Eustathium ad Odyss. p. 1490, 28 et 1751, 20 non recte; nam non *κίον*, sed *ἔκιον* legendum esse comprobant non solum scholiasta Pindaricus ad Nem. VII 127 p. 229 Ab., Homericus ad *Σ* 392 (VI 266 M.), Aeschyleus recentissimus ad Prometh. 135 p. 189 B., sed etiam plus centum loci Homerici aliique Hesiodei (Sc. Herc. 277, 284), quibus semper *ι* correptum est.

Iterum Stobaeus nobis suppeditat variam lectionem, qui laudatis versibus 346, 347 (348 in parte librorum est) in capite *περὶ κακίας* II 12 p. 180 H. exhibet *ὅς κ' ἔμμορε* in v. 347. Contra mera est corruptela, quod legitur in eodem versu pro *ἔμμορέ τοι τιμῆς* in nonnullis eius libris et *ἔμμορέ τι τιμῆς* et *ἔμμορε τιμῆς*. — Versum 348 in alterius recensionis libris eundem fuisse atque vulgatae affirmo nixus testimoniis Plutarchi (de aud. poet. p. 34 b; I 83 B.) et Aeliani (Var. histor. IX 28 Herch.). Quibus adde Heraclidem Ponticum in Historia Cumanorum 4 (FHG II 216 M.), qui mero casu pro tradito atque optime confirmato *οὐδ'* scripsit *οὐκ*, et Columellam I 35 Goessn. De v. 349 vide Ammonium sub v. *μετρεῖσθαι* p. 93 Valck., scholiastam ad Aristophanis Acharn. 1136 Dind., Suidam II* 812 *μέτρησον* B., de versus 350 cum alios tum qui unus, quod sciam, Hesiodea verba ipsa laudavit, Ciceronem in epistula ad Atticum XIII 12 ed. Müll.; de v. 352 Stobaeum in capite *περὶ ἀδικίας* X 12 p. 410 H. et Artemidorum in One-

rocrit. IV 59 (p. 238 Herch.), quorum uterque cum omnibus libris Hesiodeis exhibet ἴσα ἄτῃσι (A: κερδΕΑΙϹΑΑΤΗϹΙ) i. e. ἴσ' ἀάτῃσι = *ἀϝάτῃσι (cf. Rzach., Wien. Stud. X, 268), quam formam monentibus Meinekio (Philol. XIX, 199) et Nauckio (Mél. gr.-rom. III, 233) recte recentissimus quisque editorum in textum recepit; de versu 353 Apollonium Sophistam in lex. Homer. p. 65 B. et scholiastam ad Homeri α 406 (I 68 Dd. = Crameri An. Par. III 295, 22); quibuscum simulque cum codicibus ACD Mess. pugnat Hartelius „Zeitschr. f. Oester. Gymn.“ 1876, p. 629; de versu 354 Eustathium ad Iliad. p. 775, 14 et Ps. Dracontem p. 156, 17 Herm., cuius in libro contra ipsius disputationem δῶμεν est exaratum. Quae omnia liceat breviter perstrinxisse; nihil inest gravius.

Nec non sequentia paucis percurram. Versus 355 prior pars legitur apud Choeroboscum de orthogr. apud Cramer. An. Oxon. II 191, 21; v. 356 apud eundem in scholiis ad Theodosii Canones p. 236, 1; 333, 8; 333, 33; 341, 33 Hilg.; v. 356—360 apud Stobaeum in capite περὶ ἀδικίας X, 16 p. 411 H., cuius libri optimi ubique conspirant cum optimis Hesiodeis; apud Apostolium VI, 43 a (= Arsenii XIX, 28 Paroem. gr.), cuius deteriores Hesiodi codices semper secuti nulla est auctoritas; versus 360 postrema vocabula apud Eustathium ad Iliad. p. 1097, 57, in Etym. Parisino apud Cramerum Anecd. Par. IV p. 135, 14 (exscriptum ex illo scholio Choerobosci servato in Etym. Magn., de quo egimus supra p. 87); versus 361 sq. apud Plutarchum de educand. puer. p. 9 e (I, 21 B.) et de prof. in virt. p. 76 c (I, 184 B.); apud Stobaeum in capite περὶ φιλοπονίας XIX, 8 (p. 630 H.); in Etym. Florentino s. v. σμικρός p. 268; apud Libanii scholiastam Boisson. Anecd. Graec. I p. 166 (cuius ἐπὶ σμικρόν, quod non solum in multis deterioribus libris Hesiodeis, sed etiam in A [ἐπὶ σμικρΟΝΚΑΤΑΘΕΙΟ] legitur, est corruptela perspicuae originis), denique apud multos, qui versus leviter tangunt; v. 362 etiam apud Thomam Magistrum s. v. θαμά p. 176 Ritschl; v. 363 apud scholiastam ad Lycophronis Alexandr. v. 1396 Bachmanni Anecd. gr. II 281, 17 (cuius loci ἀλύξεται iam librarius nescioqui repperit haud male coniectando).

Longo post intervallo iterum praebet variam lectionem in

v. 368, cuius multi mentionem fecerunt, Plutarchus, qui in vita Galbae 16 (IV, 289 Sint.) τέ patriculam pro δέ exhibet, quae levis, si ab alio esset tradita, discrepantia gravior fit auctoritate Plutarchi, praesertim cum eam alio loco (Conv. quaestion. p. 701 e IV, 261 B.) videatur comprobare. Alii conspirant cum libris Hesiodi: auctor Etym. Florentini s. v. πίθος p. 244; Cassianus Bassus in Geoponicis VII, 6 p. 192, 9 ed. Beckh.; auctor illius florilegii Parisini apud Boissonad. An. gr. I 115, 1, cuius librarius tantum abest, ut abstineat neglegentia, ut exhibeat ἀρχομένοιο πίθοιο.

Non habeo, quod dicam pluribus de his testimoniis: Aristotelis in Ethic. Nicomach. IX, 1 p. 1164 a, 27 de versus 370 primis verbis, Andronici Rhodii de eiusdem hemistichio in commentario p. 118, 19 ed. Berolin., Tzetzae de versu integro in Chiliadibus X, 217 Kiessl.; Plutarchi de vit. pud. p. 533 e (III p. 379 B.) de v. 371, Pachymeris in declamatione IX p. 166 Boissonadii de v. 373, Stobaei in capite οἰκονομικῷ LXXV, 3, III p. 137 Mein. de vv. 373 et 374, Clementis de eisdem in Protreptico 12 p. 91 P. (I 119, 5 Dind.), Stobaei de v. 375 in capite ψόγος γυναικῶν LXXIII, 38 (III p. 43 Mein.), scholiastae ad Euripidis Medeam 426 Schw. de eiusdem parte priore. Ceterum confer de isto versu fusa Choerobosci scholia supra p. 87 restituta.

Contingit denique, ut finem faciamus huic capiti afferenda varia lectione, cuius fons est Plutarchi commentarius servatus Procli in scholiis ad v. 376 conscriptis (cf. supra pp. 67, 104 et praeterea Plut. de frat. am. p. 480 f III 248 B.). Duae inde nascuntur res: Plutarchum legisse σώζοι pro tradito εἴη, non legisse v. 377; quod iam Schoemannus recte intellexit. Hoc si tenemus, intellegimus qua ratione ducti propter σώζοι noluerint et alii et, si quid video, Aristarchus versum 378 delere (cf. scholia Choerobosci supra p. 87, fragmenta Aristonici supra p. 136). Ceterum quod etiam in recentissimis libris Hesiodeis σώζοι invenitur, perversum est servato versu 377 originemque e Procli scholiis duxit. Apud Eustathium ad Iliad. p. 649, 32 versus forma vulgata legitur.

8.

Inde ab Ergis, quae iam sequuntur, desinunt cum summo nostro dolore adesse exceptis locis perpaucis testimonia eorum, quibus praecipue adhuc sumus nisi ad alteram recensionem restituendam. Neque qui vulgati textus sunt testes, multum valent, cum saepissine pendeant ex Procli vel Choerobosci scholiis; quos eam ob rem neglegimus. Sed hoc saltem damnum resarciunt papyrus A, ubi omnes fere inde a 686 versus leguntur, et certamen Homeri et Hesiodi, in quo inest initium Ergorum.

Versus 383 et sequens repetuntur in Certamine (v. 173, 174 Rzach.), ubi in versu 384 legimus ἀμητοῖ' (traditum est ἀμητοῖο) et ἀρότοιό τε pro Hesiodeorum librorum ἀμητοῦ et ἀρότοιο δέ. Neque adest varia lectio, sed corrupta sunt in deteriore libro Certaminis, quae rectiora leguntur apud Hesiodum. Nam ἀμητοῖο saltem factum esse ad exemplum sequentis ἀρότοιο docet plenior forma, quam versus non recipit. Idem valet in scholiastam Homericum ad Σ 483 (II 170, 1 D; 507 a Bekk.) et in Athenaeum (XI, 489 f), quorum tamen uterque δέ recte scripsit. Porro Maximus Tyrius, qua est neglegentia in laudandis Hesiodeis versibus, in dissert. XXX, 6 p. 121 Dübn. et attribuit quaedam poetae, quae in hac parte non inveniuntur, et pro ἐπιτελλομενάων scripsit perversum περιτελλομενάων. Ceteri absunt a corruptelis: Dio Chrysostomus in oratione II, 9 p. 20 M (75 R.), scholiasta ad Arati Phaenom. 137 ed. Bekk., Probus ad Vergilii Bucol. III 40, 8 Keil., Geminus in elementis astronom. c. 4. Petavii de doctr. temp. p. 33; sed eorum quoque libri fluctuant nonnunquam in scribendo nomine Ἀτλαγενέων ut Hesiodei. Cuius vocis formae Ἀτλᾰγενν<u>ά</u>ων Gregorius Corinthius studet p. 578, 3 Schaef. ostendere esse exitum Aeolicum eamque firmat hoc Hesiodeo versu adhibito. Sed non plus facio Gregorium Corinthium deterioribus libris Hesiodeis, in quibus eadem forma legitur. In versu 385 legendum esse non δ' ἤτοι, sed δή τοι cum libro C (D om. τοί) comprobatur testimoniis Certaminis et scholiastae Homerici (l. l.). — Ad vv. 386—392 adest unum Certamen 176—182, praeterquam quod versus 385 et 386 laudantur a Ioanne Philopono in

commentario in Meteorol. p. 95 edit. anni 1552. Atque sunt in Certamine aperta menda ἄγγεα in v. 389 et γυμνός θ' ἀμάειν in v. 392; et exitus versus 392 prorsus alius est, quod ibi desinunt versus afferri. Quod non Alcidamanti ipsi, sed excerptori potius crimini dem, ut qui etiam Homeri versuum multa praeterierit aliaque mutaverit, quo breviorem narrationem suam redderet, id quod Nietzschius optime demonstravit Rh. Mus. XXV p. 531 sqq. — Casu restat vestigium Alexandrinorum exemplaris ad v. 394, in quo illi τὰ μέταζε legebant contra Hesiodeos libros. Quod elucet manifesto e disputatione Stephani Alexandrini in commentario ad Dionysii Thracis grammaticam apud Bekkerum Anecd. gr. II p. 945, 7 collata cum duabus adnotationibus Herodiani I p. 499, 10 et II 951, 32 Lenzii et Choerobosci scholiis.

Versus 401—403 ex recentissimis scriptoribus laudavit unus Theodorus Gaza in epistula ad Demetrium Chalcondylam apud Boiss. Anecd. gr. V, 405, qui vel in parvis vitiis (in v. 401 δέ τι, v. 403 νόμος) conspirat cum D. — Versus, qui 406 legitur in libris Hesiodeis, videtur certe ostendi posse a quibusdam exemplaribus afuisse. Bis totius sententiae facta mentione Aristoteles in Polit. I, 2 p. 1252^{b} et Oecon. I, 2 p. 1343^{a}, 21 hunc versum prorsus omisit et e verbis Philodemi (de vit. et virt. col. VIII, p. 46 ed. Gomp.): καὶ πῶς δέχεται γαμετὴν ὑφ' Ησιόδου λέγεσθαι τὴν γυναῖκα, πολλῶν καὶ φασκόντων αὐτὸν γεγραφέναι 'κτητὴν' οὐ 'γαμετήν' concludi licet eum versum in Philodemi exemplari non fuisse. Nam cum nihil inspecto libro invenisset ad litem diiudicandam, essetne mulier secundum Hesiodum κτητή an γαμετή, addidit illud πολλῶν καὶ φασκόντων; non dubitaret, si legisset versum 406. Hac ipsa mea disputatione ostendisse mihi videor, quo modo essent intellegenda illa verba πολλῶν καὶ φασκόντων αὐτὸν γεγραφέναι 'κτητήν' οὐ 'γαμετήν'; nam non continetur postremis vocabulis initium versus 406 sic: ... αὐτὸν γεγραφέναι· 'κτητήν, οὐ γαμετήν'. Neque inde concludere licet „multis“ Philodemi aetate hunc versum fuisse notum; ita si res se haberet, sine dubio attulisset totum versum ille, fuissetque hoc versu ab illis „multis“ prolato res absoluta. Immo γεγραφέναι illo loco intellegendum est de sensu, quem hi

„multi“ studebant invenire in versu 405, quem interpretabantur hoc modo. Quae interpretatio postea in versum 406 est redacta, eodem modo ut in versum 294 interpretatio Aristidis; verba ipsa *κτητὴν οὐ γαμετήν, ἥ κτλ.* litem de re fuisse manifestissime demonstrant. Sed redeamus ad rem. E Plutarchi Conviv. quaestion. p. 738 a (IV, 363 B.) nihil certi efficitur, quamquam haec quoque verba, si modo erunt alia argumenta prolata, videbuntur nostram probare sententiam; sed adest aliquid in commentarii eius reliquiis ad hunc versum (cf. supra p. 67, p. 104). Sane permixtum est hoc fragmentum cum Proclianis, qui v. 406 certe legebat, quod iterum argumento est eius in manibus fuisse exemplar vulgatae recensionis; sed videntur utrique sua posse restitui hunc in modum (p. 258, 2 Gaisf.): [*οὐ λέγει οὖν παλλακήν, ἀλλὰ φύλακα τοῦ οἴκου καὶ τῶν βοῶν*]. *μάτην* [*οὖν*] *λέγουσιν οἱ περὶ Τίμαιον Ἡσιόδῳ τὸν Ἀριστοτέλην πειθόμενον μετὰ τὴν τῆς γυναικὸς τελευτὴν Ἑρπυλλίδι συνεῖναι τῇ θεραπείνῃ κτἑ.* Gaudet igitur Plutarchus, quod non exstat tale quidquam in Hesiodi versibus, neque versum novit. Contra Proclus captiose interpretatur versum 406 et perverse etiam propter illud *καί.* — Versus 408 posterius hemistichium auctor iste Epimerismorum Homericorum apud Cramer. An. Ox. I p. 123, 3 sic scripsit: *ὁ μὲν* [*μέν, τητᾶ* errores typothetae?] *ἀρνεῖται σὺ δὲ τητᾷ*, quod neque versus recipit et perspicuae originis est corruptela.

Versu 410 usum vocabuli *αὔριον* approbat anonym. de barbarismo p. 197 Valck., vocis *ἔννηφι* Athen. XIV p. 653 d et III p. 100 b et scholiasta Aristoph. ad Acharn. 172 Dd.; eundem propter argumentum laudant Dionysius Alexandrinus *π. φύσ. πρὸς Ἐπίκ.* apud Euseb. praep. evang. XIV, 27 p. 781 c (II, 331 Dind.) cum v. 413, Stobaeus in Eclogis phys. et eth. II, 7, 11 (II p. 116 Wachsm.) cum v. 411, Theodoretus, qui pendet e Dionysio, in libro de nat. hom. p. 70, 30 (p. 191 Gaisf.) cum v. 413. — Quasi umbra versus 411 legitur in gnomologia Parisina apud Boissonad. An. gr. I 115, 17: *ἀνὴρ ἄοκνος* (!) *πίμπλησι καλιήν.* — Versus 412 posteriorem partem scholiasta ad Pind. N. VI, 91 p. 194 Ab. tribuit Homero, quam neglegentiam apud eum iam ad v. 218 invenimus. — Versum 413 praeter Dionysium et Theodoretum laudaverunt Arrianus in

Diss. Epic. II, 18 p. 169, 6 ed. Schenkl, Simplicius ad Epicteti Manuale 75 p. 512, 4 ed. Schweigh., Ammonius ad Aristotelis Categorias p. 67 ed. Aldinae; denique Columella IX, 1 fin. (II, 245 Gessneri), cuius libri exhibent ut deteriores Hesiodi ἄταις. — Versus 422—425 tetigisse, non laudavisse Servium ad Georg. I 175 (p. 73 Thil.) apparet ex eius vetustissimis libris; in recentioribus a librariis ipsi sunt adscripti. — Versum 422 propter verbum μέμνημαι cum accusativo coniunctum exscripsit scholiasta ad Eurip. Andr. 1164 Schw. — In versu 426 legitur in optimis libris ἄψις cum psilosi, de qua cf. Giesium, der aeol. Dial. p. 415 sq. et Curtium, Grundz. der Etym. p. 501. Quae iam antiquitus defendebatur[1]; sed Alexandrinos ἅψιν legisse manifesto demonstrant scholia Choerobosci, quae fluxere ex Herodiano (I 86, 16 Lenz.) et veteribus scholiis. Scholia vero, quae nunc sub Choerobosci feruntur nomine ad Theodosii Canones p. 327, 23 Hilg. et quae eadem sunt auctoris epimerism. Homericorum apud Cramerum An. Par. III p. 293, 29, non praebent contrariae sententiae argumentum, cum ibi disputatione diserta neque ἄψις neque ἅψις firmetur; neque quam facile spirituum signa in codicibus permutentur ignotum est.

Versum 429 et versus 436 nonnulla verba laudavit scholiasta ad Aristoph. Acharn. 180, quae ad verbum sed neglegenter exscripsit Suidas s. v. πρίνινοι II^b 409 B.; vv. 432 sq. scholiasta Hom. ad K 355 (I, 359 Dd., III 444 Dd., 291, 6 Bekk.). — In laudando v. 439 seqq. Etymologicorum et Suidae testimonia (cf. supra p. 89 infr.) manifesto exscripta e Choerobosci scholiis vim habent nullam. — Versum 441 cum versus 438 primis verbis laudavit scholiasta Homer. ad N. 484 (IV, 25 D., VI, 36 M.) casu omisso δ'. — Versus 448—450 laudati sunt a scholiasta ad Aristoph. Av. 709 Dd. ad similes versus comici poetae explanandos, et a scholiasta ad Arati Phaen. 1010 Bekk., ut explicaret, qui factum esset, ut e volatu avium tempestates praenosci possent. Aristophaneus scholiasta exhibet formam falsam

1) Conferas scholia Choerobosci ad v. supra p. 89 restituta; praeterea Eustathium ad Iliad. p. 574, 33, scholia Homerica ad E 486 p. 164 a Bekk.

ἐπακούσαις. Arati tamen initium versus prorsus alium fecit: φράζεο δ' αὖτε, ἐὰν γεράνων. Quod non adducor, ut in variis lectionibus numerem. Nam primum scholiasta, qui raro laudavit Hesiodi verba, his locis non se praebet diligentem; cf. schol. ad v. 267, ad quem affirmat Iovis nomen ab Hesiodo pro aëre dictum esse. Porro, cum hic versus esset inter notissimos, quod ostenditur vel Theognidea supra p. 10 commemorata imitatione, dubito an e memoria versus laudaverit; postremum ex illa una mutatione γεράνων (confer versum sequentem) mihi apparere videtur omnia eius usque ad ἐπακούσῃς non esse Hesiodi, sed scholiastae propria verba, quibus casu versus numeri sunt.

Versus 456 verba ἑκατὸν δέ τε δούρατ' ἁμάξης proverbii instar sunt laudata a Platone in Theaet. p. 207 a, a Galeno de Hip. et Pl. decr. X, 7 (V 785, 5 Kuehnii), ab Eustathio ad Iliad. p. 49, 17; apud omnes legitur, ut in codicibus Hesiodi deterioribus, forma Attica δούραθ' ἁμάξης; contra apud eundem Eustath. ad Odyss. 1541, 12 et apud scholiastam ad Hom. B 649 (III p. 144 D.) rectius librorum Hesiodi optimorum δούρατ' ἁμάξης. Cf. La Rochium, Hom. Textkrit. im Alt. p. 187 et Kuehner-Blass I p. 108, 4. Iam sequentia, in quibus nihil inest gravius, liceat iterum per indicem proponere: leguntur versus 462 priora verba apud Pollucem I, 223 p. 50 Bekk.; reliqua apud Eustathium ad Iliad. p. 755, 29 et 811, 29; versus 465 et 466 in schol. Arist. Plut. 727; postrema versus 465 apud Plutarchum de superst. p. 169 b, I, 415 B.; prius hemistichium versus 470 apud Choeroboscum in schol. ad Theod. Can. p. 115, 31 et 121, 13 Hilg. propter nominativum casum vocis δμῶοι, de qua cf. Lenzium ad Herodian. I p. 127, 2; prius hemistichium versus 475 apud Eustathium ad Odyss. p. 1793, 35; versus 482 apud Lucianum in diss. cum Hes. p. 224, (III, 344 Iac.); prior pars versus 486 in schol. Arist. Av. 505 Dd.; v. 489 in schol. Arist. Ach. 740 Dd.; cf. schol. Theocrit. IV, 34 (p. 168 Ahr.); v. 490 apud Ammonium sub voce ὀψέ p. 108 Valck., a quo uno vocabulum πρωτηρότῃ in omnibus libris Hesiodeis corruptum recte conservatur.

In versu 493 quod traditur in optimis libris ἐπαλέα, pugnant inter se Aristides in or. περὶ τῶν τετάρ. II 181 Dind.,

qui facit cum illis, et excerpta Choerobosci scholiorum, praesertim illa ex Etym. Leidensi (cf. supra p. 90), Eustathiusque ad Odyss. p. 1849, 3; ubi legitur *ἐπ' ἀλέᾳ*, quod ex illo *ἐπαλέα* errore ortum esse eamque ob rem neglegendum recte perspexit Sittelius in appar. crit. ad v. Nec non infra in his scholiorum excerptis invenies discrepantias, quas ad explicandas id semper tenendum est facillime menda oriri potuisse, cum poetae verba non e poetae exemplari, sed e commentariorum excerptis exscriberentur. Ceterum testimoniis, quae dixi, addas schol. *σ* 328 (II, 666 Dd. = Crameri Anecd. Par. III p. 505, 26), cl. Theogoniae versu 749. — V. 498—501 laudavit Stobaeus in capite *περὶ ἀργίας* XXX, 10 p. 665 H., posterius hemistichium versus 499 Pachymeres in declam. VIII p. 137 Boiss. — In sequentibus saepius, ut vel ex illis excerptis, quae ad Choerobosci scholia adnotavimus, erat perspicuum, commemoravit Eustathius voces Hesiodeas; nihilominus eum missum faciam, ut qui non versus Hesiodeos laudaverit, cumque eo eandem ob causam alios multos. — Posterior pars versus 508 legitur in schol. Nicandri Ther. 658 p. 52 Keil.; cf. etiam epim. Hom. apud Cram. An. Ox. I p. 287, 9, ubi eadem atque eisdem fere verbis dicta sunt atque a Choerobosco in scholiis ad hunc versum. — Propter vocabulum *μέζεα* versus 512, de quo multus est in scholiis Choeroboscus (cf. supra p. 91), affert posterius hemistichium Greg. Cor. p. 535, 3 Schaef., quo loco contra ipsius sententiam longe reiciendam *μάζε'* exhibet unus ex eius libris[1]). — De v. 518 sq. v. Eustathium de Hysm. et Hysm. amor. in Eroticis gr. scr. ed. Herch. II 197, 23 (deest Hesiodi nomen) et ibid. II 172, 4 de parte versus 519; de eodem integro Plutarchum de tranq. an. p. 465 a (III 210 B.).

In versu 524 nulla inest varietas lectionis, quae potest videri, in vocabulo *τένδει* (vel *τένθει*, *τένθῃ* secundum Sittelium in appar. crit. ad v.), est tamen res digna, de qua accuratius disputetur. In libris mss. unum servatur *τένδει* idemque in scholiis, imprimis apud Choeroboscum; cf. supra p. 91. Ex scholiis vero et illorum, quos p. 91 adnotavimus, fluxit doctrina

1) Cf. Lenzii Herod. techn. reliq. II 372, 17; 549, 11, praeterea similia II 210, 2; I 415, 3; II 739, 27 et Choerobosci scholia ad v. 526, 533, 538, de quibus v. supra p. 91 sq.

et Suidae s. v. ἐλεδώνη Iᵇ 176 B., lexicographi Paris. apud Cramer. Anecd. Par. IV p. 132, 9, anonymi apud Cramer. Anecd. Oxon. II p. 437, 23 (ubi τένθει est manifestus error scribendi, nam Choerobosci est disputatio e Suidae lexico exscripta; idem factum vides in vv. 436—440 s. v. ζυγομαχεῖν (An. Ox. II p. 443, 20) et hoc quoque loco summa menda in scribendo commissa); adde alios: Hesychium s. v., grammaticum doctissimum (Herodianum nonne?), quem expilavit Eustath. ad Il. p. 773, 29, alios, quorum doctrinae nihil est necessitatis cum Choerobosco; nisi eam quoque ex Herodiano mavis fluxisse, id quod ego non denegaverim. Testimonium Antigoni Car. praetereo, qui in Hist. mir. (Par. Gr. XXI, 25 ed. Westerm.) non addito poetae nomine, versu ut notissimo usus, neglegentissime τέμνει exhibuit; quam lectionem si vis potius glossam ducere et crimini dare librario, non obstiterim. Sed fuisse, qui mallent apud Hesiodum scribi τένθειν διὰ τοῦ θ̄ scholiasta ad Arist. Pac. 1009 ed. Blayd. tradidit, qui ipse τένδει servat ut genuinum; ex quo scholio non insolito sibi fonte Suidas IIᵇ 1072 B. s. v. τένθαις sua exscripsit. Qui fuerint illi alii, nescimus, nec non unde haec doctrina pervenerit in Aristophanis scholium. Tamen eam quoque fuisse olim in veterrimis scholiis, atque vel non inde exscriptam a Choerobosco vel postea pessumdatam iure mihi videor suspicari. Inde hoc fragmentum Didymi restituam (cf. Choerob. p. 315, 9): τένδει· σημαίνει τὸ ἐσθίει κατὰ τροπὴν τοῦ ἀντιστοίχου οὕτω ῥηθέν, ἐπεὶ τένθης λέγεται ὁ ὀξυπείνης καὶ προτένθης. ἄλλοι δέ τινες τένθει διὰ τοῦ θ̄. Didymus autem si legit et ipse τένδει, nulla exstat varietas lectionis. — Alia res est de versu 525. Ubi traditum est καὶ ἤθεσι, nam in recentissimos libros ἐν ἤθεσι irrepsit e scholio Procli, in huius autem commentarium e Plutarcho, id quod fit manifestum comparato huius ipsius testimonio (de solert. anim. p. 965 f. VI, 29 B.) — Quae a Phrynicho traduntur ad versum 528 in Bachmanni Anecd. gr. II p. 385, 16, omitto, quia ibi unum vocabulum βράδιον confirmatur, reliqua tamen παρ' Ἕλλησι ita sunt corrupta, ut in versum recipi non possint. Choerobosci scholium huius versus exscripsit Zonaras p. 407 s. v. βραδύτερον, Zonaram Thom. Mag. p. 64 ed. Ritschel. eadem s. v.

Versus 535 posteriorem partem laudavit Ioannes Alexandrinus p. 12 Dind. propter vocem *νίφα*, sed miserrime sunt verba eius rescripta, id quod elucet ex hoc uno exemplo: *οὐδεμία εἰς ᾱ λήγουσα αἰτιατικὴ ὀξύνεται, ἐνθὲν ἡ νιφάδα ἀποκοπεῖσα ἀνεβιβάσθη· ἀνευομένων* (!) *νιφάδα λευκήν*. Neque tam diligens fuit Choeroboscus in schol. ad Theod. Can. p. 141, 13 et 380, 10 Hilg., cuius inter se pugnant *ἀλευάμενοι* (-*νος*) prioris et *ἀλευόμενοι* posterioris loci; nisi alterutrum librario est dandum. In epimerismis tamen Homer. apud Cramerum An. Ox. I p. 174, 23 *ἀλευάμενοι* (sic cod. Hes. C quoque; *ἀλευόμενοι* D) firmatur diserta disputatione et laudato versu. Ibidem ad versum 538 est testimonium I p. 297, 2. — De versu 546 vide testimonia Eustathii (Erot. gr. II 192, 28 Herch.), scholiastae Homer. apud Cramerum An. Par. III p. 294, Eustathii ad Iliad. p. 613, 44; 803, 5; 1399, 3; de v. 558 schol. Ξ 124 (IV, 45 D.); de v. 579 Eustathium ad Iliad. p. 214, 10 (cf. p. 384, 11 et 680, 57) et Suidam s. v. *προφέρει* II[b] 502 B. (e scholio Choerobosci? casu pro *τοι* exhibet *ἡ*); de v. 582 schol. Arist. Pac. 1159 Dd. deque eiusdem parte priore schol. Nic. Ther. 658 p. 52 K.; de v. 583 Gregor. Cor. p. 62 Schaef., (ubi *ἐπιχεύετ'*, quod in recentioribus Hesiodeis quoque libris legitur, exstat in codice nullius auctoritatis); de v. 586 Aristotelem in Problem. IV p. 879[a], 28; de v. 590 praeter eos, qui Choeroboscum exscripserunt (cf. supra p. 41) Athen. III p. 115 a et scholiast. Aristoph. Equit. 972 Dd. (uterque ut Choer. *μᾶζα*; optimi libri *μάζα*); de v. 591 schol. Theocr. I, 6 p. 36 Ahr. (*τετοκυίας*); de v. 595 Plut. Quaest. conv. p. 725 d, III, 321 B. (qui consueto particulam *τ'* priore loco omisit suum ad finem supervacaneam), Athenaeum II p. 41 e Kaib. (ubi idem *τ'* casu omissum est) et de v. 595 et 596 eundem XI, 782 a (*κρήνης τ'* recte); de v. 596 eundem X, 426 a et Photium in lexico s. v. *τρία καὶ δύο* p. 599 Pors. (quorum libri et ipsi fluctuant in exarando vocabulo *τέταρτον*); de versus 606 parte priore Etym. Magn. p. 736, 38, qui locus non videtur pendere ex scholiis Hesiodeis (*δ'* pro *τ'* cum det. Hes.); de versus 608 priore parte schol. Arist. Pac. 1169 Dd.

9.

Iam sequantur versus, qui sunt de navigatione 618—694. Atque laudatur versus 625 posterior pars ab Eustathio ad Iliad. p. 1468, 15; versus 626 prius hemistichium a Ps. Philemone p. 284 Osan., versus 629 ut *παρῳδούμενος* ab Aristophane in schol. Av. 711 Dd. una cum versu 45; versus illi 639 et 640, quibus patriam suam appellavit poeta, a permultis obiter, velut Max. Tyr. diss. XXIX, 17 p. 118 Duebn., Luciano Pseudol. XIX p. 177, III, 294 Iac., Eustathio ad B 507 (cf. schol. Hom. apud Cramerum An. Par. III 193, 20); accuratius vero verba laudaverunt Hesiodea Strabo XIII p. 623 c (III, 74 Kram.) et IX p. 409 c (II p. 251 Kram.); scholiast. Nic. Ther. 11 p. 4 K.; scholiast. Hom. B 507 (I 115 D., Cram. An. Par. l. l.), ubi admodum gravis est sententia doctissima grammatici Alexandrini, qui pugnat cum illo *Ἄσκρην* a Zenodoto pro *Ἀρνήν* posito. Non firmatur hisce verbis *νάσσατο* versus 639, qui versus integer hic non laudatur; idem non solum non firmat, verum impugnat Certaminis (v. 5 Rz.) *εἴσατο* notissimum illud ex Homericis carminibus, cum *νάσσατο*, etiamsi verbum ipsum *ναίω* est usitatissimum, nusquam ni fallor in Homericis carminibus inveniatur uno excepto hymnorum loco. Hanc ipsam ob causam, nisi omnia me fallunt, „correxit" auctor Certaminis. Ceterum cf. Curtium „Grundz. der Etym." p. 315; Leskienium in Curtii Studien II p. 87 sq.

De reliquis sum brevis petoque ut inspicias ad versum 643 Plutarchum de aud. poet. p. 22 f. I 54 B., schol. Arati Phaen. 152 Bekk., Eustath. ad Il. p. 610, 16, cl. ad Il. p. 802, 4, ad Od. p. 1642, 31 (omnes recte *ἐνὶ φορτία* ut Mess. et C; contra *ἐνιφορτία* immerito est coniunctum; de qua re conf. Rzachium in symbol. Pragens. p. 180); ad. v. 662 Eustathium ad Dionysium Periegetem v. 1181 (Mülleri Geogr. Graec. min. p. 407, 31), ad v. 686 Stobaeum in capite *ἔπαινος πλούτου* XCI, 25 (III, 175 M.) et Apostolium (ex Stobaeo?) XVIII, 34 b (= Arsenii LIV, 18 Paroem. gr. Leutsch.); schol. Arat. Phaen. 298 Bekk., ubi forte exaratum est *δέ* pro *γάρ* firmato vel libris Stobaei; de postremo huius partis versu, quem poteris etiam subsequenti addere, Apostolium XI, 31 c (= Arsenii XXXV, 55 Paroem. gr.).

10.

In gnomologia altera insunt proverbia atque ex eis nonnulla sine dubio genuina; quibuscum quae spuria coniuncta sint, ego certis argumentis non ausim ostendere. Omnia sane ab antiquissimis iam temporibus sub Hesiodi nomine feruntur. Testimonia autem eorum, quos diligentissimos in Hesiodo laudando iam vidimus, redeunt huc non pauca, aliorumque sunt quaedam alia.

Versus 695 sqq. a multis significati diserte laudati sunt in schol. Theocr. I, 109 p. 76 Ahr., a Stobaeo in capite *ὅτι ἐν τοῖς γάμοις κτἑ.* LXXI, 6 (III p. 35 M.) cum v. 696—698, quae exscripsit Apostolius XVIII, 63 b (= Arsenii LV, 83 Paroem. gr.); versus 696—698 a Plutarcho amator. p. 753 a (IV, 407 B.), versus 698 in schol. *κ* 252 (III, 485 D.) et a Polluce I, 58 p. 128 Bekk. Quorum testimonia imprimis eam ob rem graviora sunt, quod ad unum omnia in v. 695 *ποτὶ οἶκον* exhibent, quae lectio propter metrum iam a vetustissimis editoribus restituta nunc etiam auctoritate optimi libri A fulcitur. Nec non in v. 696 omnia firmant illud librorum ACD *τριηκόντων*, (Mess. „correctum“ *τριήκοντα*), qua forma inusitata neglectaque digamma multi adducti sunt, ut cum Bentleio *τριήκοντα Ϝετέων* scriberent; sed vide Hartelium „Zeitschr. f. oesterr. Gym.“ 1876, p. 640 sq. *Τριηκόντων* non solum omnes libri exhibent et interpretes testimoniaque (adde Eust. ad Il. p. 97, 11) firmant (cf. Proclum supra p. 73 et Tzetzam p. 379, 7—16 Gaisf.), sed etiam est manifesto Rzachii imprimis curis[1]) demonstratum tale in dialectis sine dubio saepe occurrisse[2]), cuius rei nobis clarissima argumenta sunt titulis[3]) servata; et v. Callimacheam imitationem frg. 67, 2 Schneidew.: *ἐκ δὲ τριηκόντων μοῖραν ἀφεῖλε μίαν.* Versum autem 698, cuius diligentissimi illi testes Plutarchus et Stobaeus (l. l.) optime confirmant

---

1) Conferas „der Dialekt etc.“ p. 424 et imprimis apparatum criticum ad v.

2) Etym. Magn. p. 240, 47: *ἔστι δὲ εἰπεῖν, ὅτι πολλάκις αἱ διάλεκτοι κλίνουσι ταῦτα, ὡς παρὰ Ἀλκαίου· εἰς τῶν δυοκαιδέκων.*

3) Conferas apud Roehlium IGA 381 *τεσσ(ερ)ακόντων, ἐννεηκόντων, πεντηκόντων, δέκων.*

traditam lectionem librorum ACD, pessime coniunxit cum Pindarico a se laudato scholiasta Homer., cum scriberet: ἡ δὲ γύνη τετάρτῳ ἡ θ' ἡβώοι κτέ; metrum ipsum repugnat. Minor est neglegentia Pollucis et aeque Apostolii in exscribendo libro Stobaeiano, quorum ἡβῴη aut ortum est ex iotacismo aut irrepsit ex libris deterioribus Hesiodeis. Ceterum eundem versum etiam Porphyrius laudat quaest. Homer. p. 148 Schrad., sed, ut solet, e memoria, ita ut verba τέτορ' commutaverit cum verbis τέταρτον ἔτος et totum versum perdiderit.

Versum 699 et omisso versu 700 (id quod ego propter summam eius in laudando Hesiodo auctoritatem antiquissimum duco) v. 701 laudavit Stobaeus in capite περὶ μνηστείας ἔτι καὶ περὶ γάμου LXX, 8 (III, 35 M.), quod exscripsit Apostolius XIII, 93 c (= Arsenii XLIII, 8, XXXVI, 45 Paroem. gr.). Firmat vero optimorum librorum ACD[1]) et alia et ὥς κ' ἤθεα, quod videtur non agnovisse Aristoteles Oecon. I, 4 p. 1344ª, 17[2]). Sed Aristoteles, cuius lectionem avide amplexi sunt, qui ubivis digammae favent[3]), in notissimo versu Hesiodeo versatur, id quod ex eius καὶ τὸ τοῦ Ἡσιόδου, quibus affert verba, collegerim; itaque nemo potest affirmare eum inspecto exemplari suo haec laudavisse, praesertim cum iam nonnullis locis[4]) eum diligenter sane, sed nihilo minus e memoria poetae verba laudantem invenerimus. Nulla est ergo causa, cur hic lectionis varietatem statuamus.

Versum 722 cum sequenti laudavit Clemens Stromat. VI p. 744 P. (III 134, 2 Dind.); cum sequentibus tribus Stobaeus in capite ὅτι τοῖς μὲν ἐπωφέλη τὸν γάμον κτέ. LXIX, 6 (III p. 23 M.) et qui haec exscripsit Apostolius XIII, 51 o (= Arsenii XLI, 95 Paroem. gr.), versum 705 Plutarchus de cup. div. p. 527 a (III, 364 B.); cf. de virt. et vit. p. 100 e (I, 245 B.). De duobus primis versibus, quos etiam Eusebius in praep. evang. X, 3

---

1) De v. 700 papyri A vide Rzachium „Wien. Stud." X p. 274.

2) Conferas Aristidem περὶ ῥηθ. II 41, 7 Dind.; sed hic non laudavit, sed sua fecit Hesiodi verba.

3) Conferas H. Flachium „das dialekt. Digamma" p. 51 et contra disputantem Hartelium l. l.

4) Praeter alios conferas hos locos: Polit. V, 10 p. 1312ᵇ, 4; Rhetor. II, 10 p. 1388ª, 16; Ethic. Nicom I, 2, 1095ᵇ, 10.

p. 466 d (I p. 537 Dind.) laudavit, consentiunt cum libris Hesiodeis ACD; in versu 704 Stobaeus (l. l.; item Apostolius) legebat *δειπνολόχου* contra omnes (ACD Mess.) libros Hesiodeos, cuius lectionis variae Alexandrinorum mansit vestigium quoque in lemmate Zonarae p. 479 (e Choerobosco?). Alia varia lectio inest in versu 705, ubi Plutarchus et Stobaeus legebant: *εὕει ἄτερ δαλοῦ καὶ ἐν ὠμῷ γήραϊ θῆκε.* Plutarchus quod dissentire videtur altero loco, ibi verba Hesiodi suis inmiscuit neque est ibi versus legendus. Stobaeum vero ita legisse, non *αὕει ἄτερ δαλοῖο καὶ ἐν ὠμῷ γήραϊ θῆκε*, quod in quibusdam eius libris invenitur, demonstratur cum metro tum apographo Apostolii. Contra *εὕει ἄτερ δαλοῦ καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκε* exhibent cum CD Mess. certe etiam A, ubi post *ὠ[μῷ* est lacuna; nam etiamsi adest *ἐν* ante *ὠμῷ*, non possum ego cum Rzachio („Wiener Studien" X p. 271) credere in lacuna fuisse *γήραϊ θῆκε. ἐν* non est alterius recensionis vestigium, sed additum a librario, qui metro versus vulgati mederi studuit. Idem *καὶ ἐν ὠμῷ γήραϊ δῶκε* invenimus in libro Vossiano Hesiodi, quo loco Rzachius cum ipse verum viderit, nescio cur sententiam veram miserit, cum de lectione codicis A iudicium ferret. — V. 706 adhibuit Stob. in Ecl. phys. et ethic. I 3, 3 (I p. 54 Wachsm.), v. 707 Plut. de frat. am. p. 491 a (III p. 273 B.); in eodem cum deterioribus libris habet *μήτε* Apostolius XI, 34 a (= Arsenii XXXV, 57 Paroem. gr.).

E scholiis Choerobosci qui exscripsit omnia sua auctor Etym. Gudiani, affert satis multas sequentium versuum discrepantias; quarum tamen nulla lectionis varia est instar. Sunt enim tot manifesta menda atque corruptelae, ut ex illis unum illud nobis liceat perspicere, quantis erroribus potuerint implicari illi, qui non ex Hesiodi poemate, sed ex commentariis aliorum verba poetae exscripserunt. — V. 716 laudavit scholiasta ad Pind. P. IV, 507, quem ad versum erat *τὸ X, ὅτι ἐκ τῶν Ἡσιόδου Ἔργων εἴληπται . . . . . · μηδὲ κακῶν ἕταρον, μήδ' ἐσθλῶν νεικητῆρα.* [Hesiodi libri: C *ἕταρον*, D contra metrum *ἕταιρον*; idem D *νεικητῆρα*; A deest]. De priore hemistichio cf. etiam schol. Ω 63 (VI, 451 M.); facit cum C. In fine versus quod Sittelius in appar. crit. ad v. proposuit *νικητήρ*, non solum nullo confirmatur testimonio, sed ne sensui quidem satisfacit; contra *νει-*

κεστήρ ab ˣνεικεσιω[1]) optimum duco secutus Rzachium („Symbol. Pragens." p. 180) nixusque Eustathii verbis ad Il. p. 793, 11, quibus doctissimi cuiusdam grammatici disputatio continetur; unde profectis νεικητῆρα mera videtur corruptela. — Ad testimonia Stobaei in capite ὅτι οὐ χρὴ ἐπιχαίρειν κτλ. CII, 7 (IV, 62 Mein.) et πενίας ψόγος XCVI, 18 (III p. 205 M.) et Plut. de aud. poetis p. 23 f I, 57 B., ubi leguntur vv. 717—718, nihil habeo, quod addam. — De versibus 719 et 720 vide Gellium N. A. I, 15 (I p. 87, 3 Hertz); Apostolium V, 53 c (= Arsenii XXXVII, 23 Paroem. gr.); flor. Par. apud Boissonad. An. Par. I p. 115, 4, cuius liber etiam hoc loco, ut multis aliis, neglegenter rescriptus exhibet ἄριστον; Tzetzam in comm. ad Hermog. Walzii Rhet. III 644, 1 = Crameri Anecd. Ox. IV p. 122, 15, qui memoriae nimis confisus μέγιστος pro ἄριστος scripsit; Eustathium (Erot. graec. II 168, 23 Herch.), ubi immerito ea verba, quibus versus Hesiodei significantur, versus ipsos esse duxerunt, qui ediderunt. — Versus 721 εἰ δὲ κακὸν εἴποις ab omnibus libris (ACD Mess.) traditum legitur etiam in schol. Υ 450 (VI, 322 M.); cf. Rzach. Wien. Stud. X, 269. — Versum 722 et 723 Hesiodei optimi libri A(ΕΚΚΟΙΝΟΥ. ΠΛ)CD ita exhibent, ut ἐκ κοινοῦ cum praecedentibus sit coniungendum et hanc ob causam δέ particula post πλείστη necessaria. Contra qui laudaverunt, dico Athenaeum VIII p. 364 d K., scholiast. α 266 (I, 41 Dd.), ad eundem locum Eustathium p. 1412,62[2]), Macarium (III, 71 Paroem. gr. Leutsch.), omnes coniuncto illo ἐκ κοινοῦ cum sequentibus exhibent τέ post πλείστη cum deterioribus libris Hesiodeis. Idem visum est Heinsio scribendum; ego non possum in variis lectionibus numerare. Potuit enim facillime particula τέ cum δέ commutari; hoc ubi est factum, necesse erat priora illa verba cum sequentibus coniungerentur. Nec sunt id genus corruptelae alienae ab eis, quos dixi, auctoribus. Praeterea eos omnes aliis locis omnibus vidimus cum vulgata lectione conspirantes, ubi certae apud alios invenie-

---

1) Vide Leskienum in Curtii „Stud. zur gr. u. lat. Gr." II p. 94 sq.

2) Ex Eustathii testimonio ad Iliad. p. 1084, 39, quod exscripsit ex scholio Homerico ad Π, 748 (VI, 204 M.), nihil est lucri, cum unus versus 722 ibi exscriptus sit.

bantur varietates, ut hoc quoque loco malim corruptelis discrepantias explicare.

Versum 727 postquam absolvimus advocato Ioanne Doxopatre in comm. ad Hermog. περὶ εὑρ. apud Cramerum Anecd. Oxon. IV p. 167, 7 versumque 730 laudatis scholiis Δ 84 et Δ 194 (V, 383, 390 M.), varia lectio apparet laudatis versibus 735 et 736 apud Plut. de sera num. vind. p. 562 a (III, 451 B.), qui pro δυσφήμοιο Hesiodeorum librorum legit δυστήνοιο. — Idem non discrepat in versibus 742 et 743 (de Is. et Osir. p. 352 e, II, 474 B.) vel in v. 744 (de aud. poet. p. 28 b, I, 67 B.). Hunc versum coniungit cum alio alibi ignoto incertus auctor libelli περὶ τρόπων (Spengelii Rhet. gr. III 225, 1); sed totus ille locus et ipsius rhetoris verba ita corrupta sunt, ut intellegi nullo modo possint. Itaque hoc testimonium liceat neglegere. — Versus 748 pars legitur apud Plutarchum (Conviv. quaest. p. 703 d, IV, 266 B.); idem integer apud Pollucem X, 99 p. 426 B. et Tryphonem περὶ τρόπων Walz. Rhet. VIIII, 735. Hi utrique (nam Plutarchus verbum postremum omisit) pro ἀνέλοντα, quod est in libris Hesiodeis, ἀφέλοντα praebent lectionem sane optimam; sed cum unum hoc adsit testimonium Tryphonis in Hesiodea verba unumque Pollucis, quo totus exstet Hesiodeus versus, eorum auctoritatem adeo non expertam habeo, ut haec discrepantia in medio relinquenda sit. Ceterum in mantissa proverbiorum II, 5 (Paroem. gr. Leutsch.) hic versus funditus corruptus est; ἀνελόντα tamen exhibent libri. — De v. 753 vide Clementem Paedag. III p. 272 P. (I 352, 17 Dind.). — Postremi duo huius partis versus 763 et 764 in omnium ore erant; qualibus laudatis accuratam diligentiam desiderari iam saepius vidimus. Nihilo minus Aristides, quem quanti faciamus iam scis, versus ita citavit in or. περὶ τῶν τετ. II 201, 9 Dind., ut in optimis libris ACD Hesiodeis inveniuntur. Contra quem memoriae suae suo sane iure confidere vidimus Aristoteles (Eth. Nicom. VII, 14 p. 1153[b], 27), transposuit verba πολλοὶ λαοί. Idem fecit Aeschines; sed tanta est inter libros contentio, ut laudatis bis ambobus versibus contra Tim. p. 129 R. et de falsa leg. p. 144 R. altero loco maior pars optimorum librorum exhibeat πολλοί λαοί, in or. de falsa leg. habita λαοί πολλοί. Hoc vero loco ei erant ante

oculos Demosthenis verba ex eius or. de falsa leg. p. 417 R. Demosthenes autem, qui idem non in Hesiodo, sed in priore illa Aeschinis oratione versabatur, haud scio an consilio transposuerit verba; nam non in sententia propria Hesiodeorum verborum, sed in illa ipsa voce πολλοί summam inesse voluit ex eis, quae ipse dixit. Quomodo factum est, ut postea et Aeschines et Ps. Dio Chrysost. in or. Corinth. p. 467 M. (II, 128 R.), qui locum est imitatus, scriberent λαοὶ πολλοί, neque eam ob rem lectionem variam ego admiserim. Accedit, quod scholiast. Aesch. Agam. 933 (p. 509 Dind.) legit rectum πολλοὶ λαοί. Neque, id quod gravius est, recedit a libris Hesiodeis Andronicus Rhodius, siquidem eius est paraphrasis Aristotelis Ethicae Nicomacheae (p. 159, 21 ed. Berolin.); inde profectus suspicatus sit quis suo iure, vel in ipsa Ethica corruptum esse postea demum ordinem verborum. Nam οὔτι γε, quod exhibet Andronicus pro οὔτις librorum Hesiodi et testimoniorum, manifesto demonstrat omnia eius de Aristotele ipso esse deprompta non inspecto Hesiodo exemplari. Alter scholiasta Aspasius ad hunc locum unum οὔτις confirmat, quod exstat in quibusdam Aristotelis libris deterioribus. De φημίξωσι, φημίξουσι, φημίζουσι aequa est librorum Hesiodi et testimoniorum perturbatio; ego codicis C (m. pr.) φημίξωσι non dubitaverim cum Rzachio (Symb. Prag. p. 181) omnibus praeferre.

11.

Dierum, postremae partis Hesiodei carminis, ea est propter argumentum natura, ut non solum nemo veterum poetarum versus inde petitos sibi proposuerit imitandos, sed etiam prosae orationis auctores perraro eos laudaverint. Unum vel alterum testimonium hoc loco apponemus.

Versum 770 Hesiodi Dierum unum genuinum addidit Aristobulus aliis, quos finxit ad hebdomada celebrandam; cuius verba traduntur apud Clement. in Strom. V p. 713 P., III 86, 15 D. = Eusebii Praep. ev. XIII, 13 p. 677 c, II, 207 Dind. (cf. Valckenaerii diatriben de Aristobulo Iudaeo p. 116 sq., 121 sq.), et apud Eusebium in praep. ev. XIII, 12 p. 667 d (II, 194 D.). — De v. 772 in Choerobosci scholiis sine dubio erat disputatum.

Ibi cum alia scripta fuisse tum haec fere: *καί γε μὲν ἐγένοντο ταῦται αἱ ἡμέραι κτἑ.* collegerim e glossa stolidissima Zonarae quique eam exscripsit Favorini: *γέμεν· ἐγένοντο,* quo exemplo luculento quid fiat verbis aliorum neglegenter exscriptis videamus. — V. 775 recentissimus scholiasta ad Theocrit. V, 98 (p. 207 Ahr.) laudavit, v. 777 auctor epim. Hom. apud Cramerum. An. Ox. I p. 290, 9, versus 782 priorem partem Pollux I, 63 p. 15 B., qui manifesto errore pro *ἕκτη,* quam vocem omnes tuentur libri Hesiodei (ACD), exhibet *πέμπτη.* — Versus 794—797 non legit Plutarchus (v. supra p. 107 et confer p. 111). Proclus, qui nihilominus eorum faciat mentionem, sequitur ut manibus tenuerit exemplar vulgatae recensionis; nam in omnibus nostris libris (ACD Mess.) hi versus leguntur. — Finem denique faciam versu 825 laudato apud Gellium XVII 12, 4, II p. 340, 6.

Haec veterum scriptorum ad Erga testimonia invenire potui; quorum nonnulla hic primum prodiere in lucem. Iam eorum, quae vulgo feruntur, permulta licuit abicere, vel quibus leviter tangerentur, non laudarentur verba poetae, vel quae hausta essent non ex Hesiodo ipso, sed ex aliis posteriorum aetatum scriptoribus. Reliqua vero quoad potui ponderare non numerare studui. Quid inde fiat lucri, ipse iudices.

Caput IV.

De Operum altera recensione.

Variae lectiones, quas capite praecedente indagavimus, earumque auctores sunt hi:

v. 5 *ῥέα μὲν ... ῥέα δέ* Apollonius Dyscolus, Aristides.

v. 24 *σπεύδων* Stobaeus.

v. 48 *ποικιλόμητις* Plutarchus in commentario.

v. 55 *χαίροις* Origenes.

v. 59 *ἐτέλεσσε* idem.

v. 62 *ἀθανάτοις δὲ θεοῖς* idem.

vv. 70—72 desunt apud Plutarchum in comm. et apud Origenem.

v. 86 *δῶρα* Plutarchus.

v. 97 *ἔμεινε* idem, Stobaeus, Origenes.

v. 99 deest in Alexandrinorum[1]) scholiis, apud Plutarchum, Stobaeum, Origenem.

v. 111 *ἐμβασίλευεν* Diodorus.

v. 112 *ζώεσκον* idem.

pro v. 113: *νόσφιν ἄτερ γε κακῶν καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο*

(a) *νούσων τ' ἀργαλέων καὶ ἀπήμονες, οὐδὲ μέλεσσι* idem.

v. 115 *ἐόντες* pro *ἁπάντων* idem.

v. 116 *ἄλλα τε πολλὰ* idem.

v. 118 *οἱ δ' ἐπὶ γαίῃ* idem et schol. Alexandrina.

v. 119 *εὔφρονες ἔργα νέμοντο* idem et schol. Alexandrina.

v. 120 (a) *ἀφνειοὶ μήλοισι, φίλοι μακάρεσσι θεοῖσι* Diodorus; cf. Origenem.

(b) *ξυναὶ γὰρ τότε δαῖτες ἔσαν, ξυνοὶ δὲ θόωκοι*

(c) *ἀθανάτοισι θεοῖσι καταθνήτοις τ' ἀνθρώποις* Origenes; cf. Diodorum.

---

1) Didymi, Aristonici, Apollonii, Herodiani, nonnullorum incerti nominis.

v. 121 *ἐπειδὴ .... μοῖρ' ἐκάλυψεν* Plato.

vv. 122 sq. *οἱ μὲν δαίμονες ἁγνοὶ ἐπιχθόνιοι καλέονται ἐσθλοὶ ἀλεξίκακοι* Plato, Aristides, Plutarchus.

v. 124 sq. desunt in schol. Alexandrinis et apud Plutarchum in commentario.

v. 141 *φύλακες θνητῶν καλέονται* schol. Alexandrina.

ante v. 174: v. 169 (a) *τηλοῖ ἀπ' ἀθανάτων, τοῖσιν Κρόνος ἐμβασιλεύει.*

(b) *τοῦ γὰρ δεσμὸ]ν ἔλυσε πα[τὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε*

(c) *τοῖσι δ' ἄρα ν]εάτοις τιμὴ[ν καὶ κῦδος ὄπασσεν*

(d) *οὐδ' οὕτως κλυτὸν ἄ]λλο γένος θῆκ' [εὐρύοπα Ζεύς*

(e) *ἀνδρῶν, οἳ] γεγάασιν ἐπὶ [χθονὶ πουλυβοτείρῃ* papyrus B et scholia Alexandrina.

v. 174 *ὤφελλον* B.

v. 177 *παύονται* B.

v. 213 ... *ἄιε* ... scholia Alexandrina.

v. 240 *δὴ* pro *καὶ* Aeschines.

v. 241 *ὅς κεν ἀλιτραίνῃ .... μητιάαται* idem.

v. 242 *μεγ' ἐπήλασε πῆμα* idem, Plutarchus.

v. 244 sq. desunt apud eundem et apud Plutarchum in commentario.

v. 247 *ἀποτίννυται εὐρύοπα Ζεύς* Aeschines.

v. 253 *δαίμονες ἀθάνατοι φύλακες μερόπων ἀνθρώπων* Clemens.

v. 256 *ἡ δέ γε* Plutarchus.

v. 257 *κεδνή* idem, Stobaeus.

pro v. 265: *ὅς δ' ἄλλῳ κακὰ τεύχει, ἑῷ κακὸν ἤπατι τεύχει* Plutarchus.

v. 272 *τιμὴν ἀδικώτερος* Stobaeus.

v. 278 *ἐστὶ μετ' αὐτοῖς* Plutarchus, Stobaeus, Clemens.

v. 287 *τὴν μὲν γὰρ* Xenophon, Plato, Plutarchus.

v. 288 *λείη* pro *ὀλίγη* iidem.

v. 291 *ἵκηαι* Xenophon, Plato, Clemens.

v. 293 *κεῖνος .... ὃς αὐτῷ πάντα νοήσῃ* Aristoteles, Aristides, Plutarchus in commentario, Stobaeus, Clemens.

v. 294 deest apud eosdem.

v. 296 *αὐτός* iidem excepto Plutarcho, cuius testimonium deest.

v. 303 τῷδε ... νεμεσσῶσι .... ὅστις Stobaeus.
v. 304 ἴκελος ὀργήν scholia Alexandrina, Stobaeus.
v. 305 sq. κάματον νήποινον ἔδουσιν | τρύχοντες Stobaeus.
v. 309 ἐργαζόμενος πολὺ φίλτερος idem.
v. 310 deest apud eundem.
v. 347 ὅς κ' ἔμμορε idem.
v. 368 ἀρχομένου δὲ πίθου Plutarchus.
v. 376 σώζοι pro εἴη idem in comm.
v. 377 deest apud eundem.
v. 394 τὰ μέταζε Herodianus.
v. 406 deest apud Aristotelem et apud Plutarchum in commentario.
v. 426 ἄψιν Herodianus, schol. Alexandrina.
v. 525 καὶ ἐν ἤθεσι Plutarchus.
v. 700 deest apud Stobaeum.
v. 704 δειπνολόχου schol. Alexandrina, Stobaeus.
v. 705 ἐν ὠμῷ γήραϊ θῆκεν Plutarchus, Stobaeus.
v. 735 δυστήνοιο Plutarchus.
v. 794—797 desunt apud Plutarchum in commentario.

Omnes vero, quos licuit advocare testes alterius recensionis, gravissimum est inter se conspirare ita, ut nusquam alterius ullum testimonium pugnet cum testimoniis aliorum; ad unum omnes semper aut faciunt cum libris Hesiodeis aut pugnant. Manifestissimo igitur elucet omnes exemplaria eiusdem editionis tenuisse manibus. Quae ἔκδοσις cum permultas illas, quas collegimus, varias lectiones exhibuerit, quae alienae sunt a vulgata, necessario ducimur ad recensionem alteram vulgatae dissimillimam.

Cuius recensionis alterius textum novimus versuum 201 (5, 11, 21—26, 40—42, 45, 46, 48, 53—82, 86, 94—104, 111—125, 141, 174—182, 190—196, 210—221 (ex parte), 234, 235, 240—247, 252, 253, 256—259, 265, 266, 270, 272, 276—279, 286—297, 303—305, 308—313, 317—320, 342, 346—348, 352, 356—362, 368, 370, 371, 373—375, 377, 378, 394, 406, 410, 411, 426, 493, 498—501, 519, 525, 595, 643, 686, 695—699, 701—707, 717, 718, 735, 736, 742—744, 748, 763, 764, 770, 794—797); in his insunt 52 varietates modo minoris modo maioris momenti; 17 versus textus vul-

gati absunt ab altera recensione, quae in vicem exhibet 9 versus alienos a vulgata.

Duos locos inveni ex quinquaginta duobus, quibus sine dubio nostrae recensionis textus est praeferendus: v. 97 *ἔμιμνε* exquisitius et poetae epici magis proprium vulg., *ἔμεινε* alt. rec.; v. 309 *ἐργαζόμενοι πολὺ φίλτεροι* vulg., numeri singulares alt. rec. Satis multi sunt loci, quibus dubitare quis possit, utram praeferat recensionem: vv. 24, 48, 112, 115, 116, 118, 119, 240, 241, 242, 247, 278, 303, 347, 525, 704, 705; sed ne his quidem locis saepius palmam datum iri vulgatae credo. Plurimae tamen alterius recensionis variae lectiones longe superant vulgatam, inprimis ubi res est de lacunis vulgatis. De quibus haec habeo, quae dicam omissis nunc quidem eis, quae sunt Pandorae et Aetatum fabulae (inde a v. 48 usque ad v. 177). Ac primum quidem neminem fugit versus 794—797 prorsus inanes esse atque optimo iure abiectos ab auctore alterius recensionis, si quidem ante eius tempora iam aderant; nec non versus 700 argumentum a sententiarum conexu quam maxime esse alienum, cum disputetur de aetate et annis uxoris, non de eius origine. Porro qui versum 377 legerit, frustra quaeret, quomodo *ἀέξεται πλοῦτος ἐν μεγάροισι*, si unus *μουνογενὴς παῖς* est ad servandam paternam domum; contra illo versu omisso et alterius recensionis in versu praecedente accepta lectione *σώζοι* optime se habet sententia. Dicit poeta esse exoptatissimum duos filios (cf. v. 378) relinquentem mori; unus si est, hunc saltem iubet (cf. Plutarchi in commentari '*εὐκτικόν*') conservare patriam domum. Versum 310 iam permulti editores in eo offensi, quod disturbaret ordinem sententiarum molestissime, vel a vulgata eiecerunt. Versus 294 manifesto est ab illo additus, qui sophistarum in morem non posset e v. 293 sententiam, quam exoptabat (cf. Aristidis disputationem et quae supra p. 203 diximus) expiscari; pari de causa, id quod supra p. 212 me comprobavisse credo, est additus v. 406. Neque est, quod pluribus comprobem, quanto melior sit alterius recensionis lectio versus 265, quam „maioris antiquitatis specie formatam“ esse omnes concedunt, versus 213, ubi exquisitiorem formam verbi habes, cuius vulgata fortasse glossa est, versuum 256—257, ubi epitheton Iustitiae magis

proprium traditur. In v. 272 ex altera demum recensione apparet, cur doleat poeta; in vv. 288 et 291 poeticus fit color abiectis tritis verbo et forma; in v. 293 et 296 dudum editores alterius recensionis lectiones restituere poetae; similis denique est res de vv. 305, 306, 368, 376, 735.

* * *

Iam auctor de utraque recensione quid esset iudicandum ita conatus est exponere, ut interpretationem admodum prolixam et Pandorae et Aetatum proferret. Qua in re cum multa incohata magis quam perfecta viderentur esse, memoriae defuncti viri ita nos consuluimus, ut hanc partem seponeremus, licet in eis, quae praecedunt, auctor interdum lectores ad hunc locum relegaverit; cuius rei venia eius nomine nobis est petenda. Addidimus tamen, quae ultimo loco protulit de utriusque recensionis origine.

* * *

Restat, id quod quis suo iure e nobis quaesiverit, ut respondeamus, qui sint auctores alterius, quam statuimus, et vulgatae recensionis. Sed pro certo nomina eorum dici non possunt, etsi sane videntur et tempora et alterius saltem auctor melius posse dignosci.

Vulgatam docent loci eius allati ab antiquis scriptoribus iam primis post Christum natum saeculis in manibus multorum fuisse; inde a quarto una invenitur; hanc tenebat Proclus, hanc Choeroboscus. Certe non fuit Alexandrinorum h. e. non Aristarchi neque eius aequalium vel eorum, qui ante Aristarchum erant, non Seleuci, non Didymi. Nam ut non dicam permultas alias varietates lectionum, quas manifesto ex Alexandrinorum fonte fluxisse vidimus, in Alexandrinorum recensione legebantur versus 169—169[d], ut manifestum est ex Didymi scholio, quorum versuum ne vestigium quidem superest in nostra recensione. Cadunt igitur fontes vulgatae Didymea et Aristarchea recensiones. Seleucus vero auctor vulgatae non erat, quod eius duae variae lectiones in scholiis servatae aliena sunt a vulgata. Sed Didymeo illo scholio ad v. 169 tempora videntur circumscribi, quibus facta est vulgata recensio. Verba fecit ille de „quibusdam“ editoribus, qui eiecissent ex Hesiodeo carmine versus 169—169[d], qui absunt a vulgata recensione. Ergo ante Didymi aetatem ad lucem prodiit. Contra prorsus

ignota est illa athetesis Aristarcho; nullum enim exstat fragmentum Aristonici, nullum erat ergo signum ad hos versus Aristarchi in re gravissima; neque Didymus in fuso scholio suo quidquam de Aristarchi sententia dixit — quia nihil invenit. Ergo post Aristarchi aetatem facta est. Quisquis est eius auctor, certe nobis deteriorem recensionem reliquit deteriobus scilicet manuscriptis libris usus et suo ipsius fortasse ingenio plus quam par erat indulgens.

Alteram recensionem affirmari posse videtur Aristarcheam fuisse. Quae restant in fragmentis Aristonici Aristarcheae lectionis vestigia, semper consentiunt cum lectionibus illorum scriptorum, quorum in manibus alteram fuisse demonstratum est; in recensione Plutarchi, testis qui est alterius recensionis spectatissimus, signa manifesto aderant atque ea, quantum videmus (v. ad v. 1—10, 317) Aristarchea; neque denique alterius erat grammatici tanta auctoritas, cuius recensio tamdiu ferretur et a Didymo semper inspiceretur. Consentit vero altera recensio in gravissimis quibusque rebus cum illa Atheniensium vetustiorum (cf. Platonis, Aeschinis, Aristotelis testimonia) semper; iam elucet, id quod per se exspectatur, fundamentum Aristarcheae recensionis, ut in Homericis carminibus, vulgatam veterrimam fuisse i. e. apographum Pisistrateae recensionis.

Haec habui quae dicerem. Utinam haec mea studia, summo amore et cura a me exculta, aliorum quoque Hesiodeis studiis aliquid lucri praebeant!

Tabula argumenti.

